



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, per Casus practicos exposita, nunc quartò ab ipso Authore revisa ... & in 4. Tomulos sic divisa, ut pro libitu in duas aut 4. Partes commodè compingi possit


à Casu CIII. usque ad Casum CXVII. inclusivè exhibens Materiam de Sacramentis extremæ Unctionis, Ordinis & Matrimonii, item de Censuris

Jansen, Leonard

Coloniæ Agrippinæ, 1753

VD18 13475452-001


urn:nbn:de:hbz:466:1-39841




112
2123

Th. 24231.

3





THEOLOGIA MORALIS UNIVERSA

Ad Mentem præcipuorum Theologorum & Canonistarum, per Casus practicos exposita, nunc quartò ab ipso Authore revisa, insertis suo Loco Ssmi Papæ BENEDICTI XIV. Decretis & Propositionibus (in quantum adhuc deerant) à S. Sede damnatis, nec non variis ad Praxin Casibus, tum aucta, tum clariùs elucidata, & in 4. Tomulos sic divisa, ut pro libitu in duas aut 4. Partes facilè compingi possit.

AB ADM. REVERENDO ET AMPLISSIMO
DOMINO,

D. F. LEONARDO JANSEN,
S. Ordinis Præmonstratensis Ecclesiæ
Knechtstadiensis quondam Lectore,
nunc Abbate & Prælato ibidem.

TOMULUS IV.

à Casu CIII. usque ad Casum CXVII.
inclusivè exhibens Materiam de Sacramentis
extremæ Unctionis, Ordinis & Matrimonii,
item de Censuris.

EDITIO QUARTA.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
IN OFFICINA NOETHENIANA.

Unter gülden Wagen. MDCCLIII.

Cum Privilegio Sac. Cas. Majestatis speciali.

THEOLOGIA
MORALIS
UNIVERSA

IN HOC PRIMO LIBRO
DE CANONIZATIONE
SANCTORUM
CAPITULUM I
DE CANONIZATIONE
SANCTORUM
IN HOC LIBRO
DE CANONIZATIONE
SANCTORUM

DE CANONIZATIONE
SANCTORUM
IN HOC LIBRO
DE CANONIZATIONE
SANCTORUM
IN HOC LIBRO
DE CANONIZATIONE
SANCTORUM

DE CANONIZATIONE
SANCTORUM
IN HOC LIBRO
DE CANONIZATIONE
SANCTORUM
IN HOC LIBRO
DE CANONIZATIONE
SANCTORUM

M


De

De

De

De

De



INDEX CASUUM

Qui in hoc Quarto Tomo
continentur.

CASUS CIII.

De Sacramentis Extremæ Unctionis & Ordinis, Pag. 1.

EX

TRACTATU

DE

Sacramento Matrimonii.

CASUS CIV.

De Sponsalibus, pag. 13.

CASUS CV.

De Matrimonii Essentiâ Inoissolubilitate, pag. 42.

CASUS CVI.

De Proclamationibus, Benedictione & Impedimentis Matrimonii in genere, pag. 79.

CASUS CVII.

De Impedimento Erroris, Conditionis, Voti, Cognationis, Affinitatis &c. pag. 203.

INDEX CASUUM.

CASUS CVIII.

De impedimento criminis & disparis cul-
tûs. pag. 225.

CASUS CIX.

De Ligamine, publicâ honestate & defectu
ætatis. pag. 231.

CASUS CX.

De Impedimento Claustrinitatis, Impotentia
& Raptûs. pag. 247.

CASUS CXI.

De Modo revalidandi Matrimonium & de petendâ
Dispensatione. pag. 274.

CASUS CXII.

De Usu Matrimonii & Obligationibus Con-
jugum. pag. 312.

EXTRACTATU

DE

Censuris Ecclesiasticis.

CASUS CXIII.

Quid & quotuplex sit Censura, & qualiter ferri
debeat. pag. 326.

CASUS CXIV.

De Excommunicatione, ejus materiâ, divisione
& effectibus. pag. 339.

CASUS CXV.

De Excommunicationibus reservatis. pag. 351.

CASUS CXVI.

De Suspensione, Interdicto & Absolutione
à Censuris. pag. 371.

CASUS CXVII.

De Irregularitate. pag. 385.

C A S U S C I I I .

De Sacramentis Extremæ Unctio-
nis & Ordinis.

Quarantus 1. dubitat : An Unctio sit
verum Sacramentum, & quis ejus effectus.
2. inungit chrismate, affundit oleum non
benedictum, domi asservat, & non sinit annuò re-
novari. 3. aliquos tantum sensus inungit, & plu-
res sub unâ tantum formâ sine ordine, sine cruce
4. Tempore pestis suos non inungit, etsi alias inun-
gat alienos. 5. Quoslibet egros, pueros amantes,
in duello laesos, statim baptizatos, & de quibus du-
bium est, an sint in periculo vita. 6. Sapius in di-
uturno morbo. 7. Ordinibus non praeiicit primam
tonsuram. 8. Putat septem Ordines esse septem Sa-
cramenta, & ordinatos ante pubertatem ex metu vel
ignaros voti castitatis annexi non obligari ad
castitatem. 9. Ordinandus non tetigit instru-
menta. 10. Dubitat, à quo Episcopo ipse vel Re-
gulares ordinari debeant. 11. An Abbates pos-
sint dare quatuor minores, & quibus. 12, 13. Quid
requiratur in ordinando. 14. Quid de interstitiis.
Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid circa Sacramentum extremæ
Unctionis ?

R. Seqq. I. Extrema Unctio est verum novæ
legis Sacramentum à Christo Domino institutum,
& à S. Jacobo Apostolo promulgatum; est de fide

A

ex

R. D. Janzen Theol. Moral. Tom. IV.

ex Tridentino sess. 14 cant. 1, ubi ait : *Si quis dixerit, extremam Unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit. Verba S. Jacobi c. 5. sic habent : Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesie, & orent super eum ungentes eum Oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Effectus hujus Sacramenti est gratia sanctificans, & remissio peccatorum per Sacramentum penitentiae necdum remissorum, non tantùm venialium, sed probabiliùs etiam mortalium tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, juxta dispositionem suscipientis; item speciale auxilium contra occurrentes in extrema lucta tentationes, difficultates, animi languores & angores ad desperationem trahentes, quæ meritò vocantur reliquiae peccatorum, eò quòd à peccatis ortum trahant; insimul causatur sanitas, aut diminutio morbi, si ita expediat egro, Omnia colliguntur ex Conc. Florent. & Trid. locis cit.

2. Materia ejus remota est oleum olivarum purum, benedictum ab Episcopo; adhibere extra necessitatem chrisma seu oleum mixtum balsamo, vel benedictum à simplice Sacerdote, est mortale; quia juxta plures oleum purum est de valore Sacramenti, sicut & juxta *D. Thom. 9. 30. sup. ar. 5. & 6. Salmat. Dicastil. Suarez. d. 40. f. 1.* benedictio Episcopi est de valore; & quamvis alii probabiliter contradicant, id tamen in praxi locum non habet, quia agitur de valore Sacramenti; licet tamen in necessitate affundere oleum non bene-

benedictum, dummodo affusum semper sit minus 3.
benedicto, tunc enim totum manebit benedi-
ctum, ut jam moraliter est certum, tum ex praxi
Ecclesiæ, tum ex *Declaratione Cardinalium de*
Anno 1682. Deinde ex consuetudine oleum de-
bet omni anno renovari, & in Ecclesia, non domi,
asservari; in necessitate uti licebit oleo vetere, *La-*
ym. & alii.

3. Materia proxima est ipsa unctio in quinque
sensibus, scilicet oculis, auribus, naribus, ore,
manibus; si desit unus sensus unctio fiat in loco
proximior, *S. Thom. art. 6.* Ungere tantum
unum, vel alterum sensum extra necessitatem
est mortale, quia Sacramentum exponitur pe-
riculo nullitatis; probabile enim est omnes quin-
que unctiones esse de essentia, *D. Thom. in Suppl.*
q. 30. art. 1. ad 3. juxta Florent. Unctio etiam
debet fieri in pedibus & renibus, sed non de ne-
cessitate; & unctio renum ex præscripto Ritualis
Romani omittitur in fœminis propter honesta-
tem. Ex communi verò omnium sensu non est
necesse ad valorem servare certum ordinem inter
unctiones, aut unctiones fieri in formâ crucis; id
tamen sine causa omittere est veniale, *Suar. Con.*
Laym.

4. In quâlibet unctio sub mortali proferenda
est hæc forma: *Per istam sanctam unctionem*
& suam piissimam misericordiam indulgeat tibi
Deus, quidquid deliquisti per visum, odoratum,
&c. Florent. & Trident. l. cit. Unde patet for-
mam debere esse deprecatoriam, seu per modum
orationis, Jacob. 5. ubi dicit: *Infirmatur quis*
in vobis, inducat Presbyteros Ecclesia, & orent super
eum. Unde non valeret forma: *Ego te ungo.* *S.*
Thom. q. 29. art. 4.

4. 5. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos Parochus sub mortali tenetur suos inungere etiam tempore pestis, non tamen cum novo periculo vitæ, præsertim si statim non sit habiturus successorem, qui Sacramenta magis necessaria administret, in defectu Parochi quilibet Sacerdos tenetur ex charitate. Inungens alienum Parochianum Parocho rationabiliter invito peccat mortaliter contra jus Parochi, & si Religiosus id faciat, incurrit excommunicationem latæ sententiæ. Clem. I. *de Privilegiis*, id tamen non tenet in casu, quo necessitas urget & Parochus absens est.

5. 6. Subiectum unctionis est homo baptizatus, & æger periclitans de vitâ; quamvis ex communi non sit obligatio saltem gravis recipiendi S. unctionem, quia non constat de tali lege, & Sacramentum non est omninò necessarium; intellige si absit scandalum, & contemptus, qualis adesse videtur, si quis Parocho se præsentante tam utile Sacramentum respueret. Dicitur 1. *Baptizatus*, quia Baptismus est janua Sacramentorum. Dicitur 2. *Ægrotus*, quales non sunt bellantes, aut Rei supplicio afficiendi; ægri censentur, veneno infecti, vulnerati, aut læsi etiam in duello, qui inungi possunt, si dederint signum penitentia; item qui senio aut fluxu sanguinis periculose deficiunt, &c. Dicitur 3. *Periclitans de vitâ*; nam non sufficit quilibet levis morbus, sed debet esse conjunctus, vel saltem prudenter judicari conjunctus cum probabili periculo vitæ; nequam tamen expectandus est ultimus vitæ articulus, quando salus desperata est; ideo monendi infirmi, ut hoc Sacramentum suscipiant, quando adhuc sunt plenæ mentis, & ad uberiorem ejus fructu.

fructum se disponere possunt, attento quòd illud etiam infallibiliter ex opere operato causet sanitatem corporalem, vel minuat dolores, si ita infirmo expediat in morbo baptizatus statim potest inungi; nam quamvis non supponantur adesse reliquæ peccatorum, si tamen usum rationis habeat, est capax tentari, ideòque indigebit auxilio contra tentationes in extrema lucta; econtrà perpetuò amentes & pueri non inunguntur ante usum rationis, quia non peccarunt, nec capaces sunt tentari. Pueri autem censentur habere usum rationis, si aliquando admissi fuerint ad Sacramentum pœnitentiæ; in dubio an habeant usum rationis, nec ne, adhuc inungendos ob summam hujus Sacramenti utilitatem, docet Steph. à S. Paulo hic n. 15.

7. Hoc Sacramentum in eodem morbo repeti non potest, *Trid. c. 3.* nisi morbus esset valde diuturnus, in quo quis post aliqualem reconvalescentiam reincidisset in periculum gravius, tunc secundo inungi posse docet D. Thom. & praxis Ecclesiæ; quia censeretur moraliter novus morbus, saltem si ita reconvaluisset, ut *Medicorum judicio extra probabile seu propinquum mortis periculum fuerit constitutus*, ut habet Synodus Coloniensis c. 3. §. 7.

8. Quòd ad dispositionem suscipientis sufficit status gratiæ, & intentio saltem interpretativa, quâ quis ex vita Christianè peractâ præsumitur velle Christianè mori & per consequens Sacramentaliter inungi, etsi pronunciens destitutus Sacramentum non possit petere.

QUÆR. II. Quid de Sacramento Ordinis ?

A 3

Et.

2. Seqq. 1. Ordo est ceremonia sacra, quâ ordinatus constituitur in certo gradu Ecclesiastico, & illi confertur mediata vel immediata potestas circa Sacramentum Eucharistiæ vel conficiendum, vel assistendum. Prima Tonſura non est propriè Ordo, sed tantùm dispositio ad Ordines, sine quâ Ordines suscipere ex instituto Ecclesiæ est mortale.
2. Ordines sunt septem: quatuor qui vocantur minores, Ostiariatus scilicet, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus: tres majores putantur Subdiaconatus, Diaconatus & Sacerdotium, dicuntur sacri, eò quòd annexum habeant votum perpetuæ castitatis; constat ex antiquissimis Conciliis & Patribus apud Bellarminum & alios passim.
3. Certum est, omnes in majoribus constitutos per se obligari ad castitatem, tum ex votum ex præcepto Ecclesiæ prohibente ordinis matrimonium, *Bernal. Castropal. pun. 17. num. 5.* adeò ut suscipiens S. Ordines, etsi nollet vivere, ratione præcepti obligetur ad castitatem, *Sporer num. 174.* Si quis sit ordinatus ante usum rationis, aut omninò ignoraverit castitatem Ordini esse annexam, (quod vix fieri potest) non obligatur ad castitatem, *Sanch. Dicast. Castropal. num. 12.* quia nec votum emisit, nec Ecclesia vult eum obligare, ideòque licitè nubere potest; idem dicunt *Pontius, Barb. Sanch. l. 7. de matr. d. 30.* de ordinato ante pubertatem, quod rectius negant *Sot. Castropalao, Wiestn. l. 4. decret. t. 6. num. 12.* & ibidem *Reiffenstul. num. 7.* *La Croix. hic num. 2164.* quia talis de se est capax voti, nec constat illud ab Ecclesia irritari. An ordinatus ex gravi & injusto metu obligetur ad castitatem, dicam

cam *Casu* 107. q. 3. Aliquem Ordinem, & præcipuè Sacerdotium, esse verum Sacramentum, est de fide ex Florent. & Trident. sess. 7. & 23. Imò probabiliùs omnes Ordines, etiam minores, sunt vera Sacramenta, & causant gratiam; quia dicta Concilia simpliciter dicunt, Ordinem esse Sacramentum, nec distinguunt inter majores & minores, & omnes sunt à tempore Apostolorum, & conferuntur sub certà materiâ & formâ; nec ideo dantur plura Sacramenta, quàm septem, quia omnes Ordines sunt unum Sacramentum unitate finis, quia ordinantur remotè, vel proximè ad eandem Eucharistiam ritè tractandam. An Episcopatus sit Ordo adæquatè distinctus à Sacerdotio, est incertum; negant plerique Theologi, affirmant Canonistæ plurimi cum *Schmalz. l. 1. tit. 11. num. 4.* quia Episcopatus habet distinctam materiam, formam, & effectum, ut per se patet, & Episcopus jure Divino est superior simplice Sacerdote, *Trid. sess. 23. c. 7.* Episcopatus enim præter potestatem consecrandi, absolvendi, &c. omnibus Sacerdotibus communem, includit potestatem conferendi Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, quæ non competunt aliis Sacerdotibus.

4. Materia remota cujusvis Ordinis sunt instrumenta, quæ tangenda traduntur ordinandis: Materia proxima est ipsa traditio, ita tamen ut instrumenta debeant attingi physicè, *S. Thom. q. 34. art. 5. ad 3. Schmalzgr. p. 7. Vasq. Dian. Herinx. Laym. c. 5. num. 4.* aliàs ordinatio ad minùs erit dubia, & sub conditione reiteranda; & in specie materia *Ostiaritùs* proxima, est traditio clavium Ecclesiæ, & cymbali, quo populus ad eam vocatur. *Lectoratùs*, traditio libri Epistolarum, vel

Prophetiarum. *Exorcistatus*, traditio libri Exorcismorum. *Acolytatus*, traditio urceoli vacui & candelabri cum cereo extincto. *Subdiaconatus*, traditio calicis vacui cum patena vacua superposita, & secundum aliquos, libri Epistolarum. *Diaconatus*, traditio libri Evangeliorum, cui præmittitur impositio manus Episcopalis super caput ordinandi, quod aliqui dicunt esse de valore, alii de præcepto. *Presbyteratus* materia duplex est per eum datur potestas, una super Corpus Christi verum, altera super Corpus Christi mysticum; prima significatur per traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia; altera per impositionem manuum Episcopi, non primam, quæ præcedit traditionem calicis, sed alteram, quæ fit ad finem Missæ. *Episcopatus* materia & impositio est libri Evangeliorum super cervicem, & scapulis Episcopi consecrandi, & manuum impositio super caput ejusdem.

10. 5. Minister ordinarius est Episcopus proprius. *Proprius* autem dicitur, in cujus Diœcesi vel habitas, vel habes originem, vel domicilium, vel beneficium Ecclesiasticum quietè possessum & sufficiens ad sustentationem, *c. cum nullus, de temp. ordin. in 6.* ibi autem habes originem, ubi natus es non casu seu quasi in itinere, sed ubi patet fixum tempore nativitatis habuit domicilium; ibi verò habes domicilium, ubi habitas cum animo perpetuò ibidem permanendi, usque dum aliò avoceris, *Laym. Konig. Schmaltzgruber à num. 37.* Et quamvis sufficiat pro aliis Sacramentis *quasi domicilium*, quò quis tantum per majorem anni partem intendit in aliquo loco subsistere, velut servi, studiosi, &c. id tamen non sufficit ad suscipiendos Ordines, ut habet communis, & de-
cre

crevit Innoc. XII. anno 1694. Regulares habent Privilegium, ut ordinari valeant à quocunque Episcopo absque interstitiis, ut dicam infra n. 14. Dixi, *ordinarius*. Nam Minister extraordinarius & ex Privilegio saltem respectu primæ tonsuræ, & Ordinum minorum sunt Abbates habentes jus mitræ & baculi, dummodo sint Sacerdotes, ita ut non tantum suis professis, ut concedunt omnes ex c. *Abbates de Privil. in 6.* sed & Novitiis dictos Ordines conferre possint, teste *Suarez. & Laym. hic c. 9. num. 2.* quia Novitii in Privilegiis veniunt nomine Religiosorum; imò Abbates aliorum Abbatum Religiosos cum eorum licentia, item sæculares cum licentia eorum Episcopi posse ad primam tonsuram & quatuor minores ordinare tanquam probabilius sustinet *Engel. de Privil. monast. priv. 44. Schmalzgr. num. 32.* & pro hoc declarationem Cardinalium adducit *Gallebard.* Ratio est, quòd Episcopus, vel Abbas potens suos ipse ordinare possit alteri Abbati eandem suam potestatem delegare, sicut Episcopus eam delegare potest Episcopo; nec videtur ob stare c. 10. *Trid. sess. 23.* ubi dicit: *Abbatibus quibuscunque quantumvis exemptis, non liceat cuiquam, qui Regularis subditus non sit, tonsuram vel minores Ordines conferre;* quia ut utar verbis citati *Engel. Tridentinum* tanquam prohibitorium & pœnale hinc restringendum & intelligendum est: quòd Abbas autoritate propriâ sine licentia alterius Abbatis non possit alios, quàm suos Regulares subditos ordinare, sicut Episcopus sine dimissoriis non potest alios ordinare quàm suos Diocesanos. Nec denique obstat, quòd *Dian. p. 7. tr. 11. resol. 42.* proferat decisionem Cardinalium in contrarium; nam hanc decisionem in

mania non esse omni ex parte receptam pro sua Diœcesi Constantiensi testatur *Gobat. tr. 8. num. 324. & 328.* & pro Diœcesi Herbipolensi *Sporer de Sacram. p. 1. c. 5. num. 43.* vel dicta declaratio tantum loquitur de jure ordinandi ex Privilegio speciali, & non ex consuetudine generali, *Pasqual. ad Laur. de Franch. p. 29. 8. num. 33.* Si Abbas ordinet non subditum sine licentia Abbatis vel Episcopi, ordinatio probabilius est invalida, *Suarez. Laym. Pyrrh. lib. 1. nu. 49.* quia potestas ordinandi non competit Abbatibus ratione characteris, sicut Episcopo, sed ex speciali commissione & Privilegio: ergo non potest se extendere ad casum non commissum.

12. 6. Subjectum capax hujus Sacramenti est solus mas baptizatus, *S. Thom. 9. 39. art. 1.* Ut tamen talis licite ordinetur, præter statum gratiæ requiritur 1. certa ætas, quæ pro prima Tonsura, Lectoratu, Exorcistatu & Ostiariatu est septennium; pro Acolythatu annus duodecimus, pro Subdiaconatu annus vigesimus primus, pro Diaconatu vigesimus secundus, pro Sacerdotio vigesimus quartus, pro Episcopatu trigesimus omnes completi, colligitur ex *text. & Gloss. in c. de iis 5. dist. 28. & c. in singulis 2. dist. 77. & ex Trid. sess. 23. de reform. c. 12.* ita ut juxta communem nequidem hora deesse debeat; quod si quis ante dictam ætatem Ordines suscipiat, peccat mortaliter, & scienter in iis ministrans incurrit suspensionem, à quâ tamen quilibet Sacerdos absolvere potest, vide *Cas. 78. q. 1.* 2. Requiritur in ordinando, ut non sit infamis, illegitimus bigamus, vel alio modo irregularis, ut dicam *Cas. 117.* 3. Ut promovendus ad majores Ordines habeat titulum sustentationis, sive ex patrimonio, juxta cujusvis

Dico-

Dioecesis Statuta, sive ex beneficio, sive ex professione seu paupertate Religiosa, sive titulum Mensæ, ut vocant, qui tamen in Dioecesi Coloniensi prohibetur admitti, *Agend. Colon.* edita anno 1720. p. 178. ubi etiam præscribit conditiones ad titulum patrimonii requisitas; Episcopus scienter ordinans aliquem sine omni titulo, incurrit onus illum alendi, *Trid. sess. 21. c. 2.* taliter tamen ordinatus non incurrit probabiliter suspensionem, quia in lege pœnali, de quâ non satis constat, mitior interpretatio facienda est, qualiter circa titulum ordinationis simonia committi possit dixi *c. 66. n. 30. 4.* requiritur Probitas morum & congrua cuiusvis Ordini scientia. 5. Prærequiritur Confirmatio ad summum sub levi, quia non constat de lege vel consuetudine graviter obligante. 6. Ordines debent suscipi ordinatè, incipiendo à Minoribus; per saltum promotus peccavit mortaliter, teneturque adhuc suscipere Ordinem omissum, manetque suspensus ab Ordine suscepto, donec Episcopus dispenset, *c. un. de Clerico per saltum promot.* 7. Requiritur interstitia, hoc est, ut inter quemlibet Ordinem intercedat annus, *Trid. sess. 23. c. 14.* nisi Episcopus ob utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ dispenset; generali tamen consuetudine nunc receptum est, ut Ordines Minores conferantur simul pridie ante Subdiaconatum, & Regulares Mendicantes, aliique cum iis participantes, habent Privilegium, ut non servatis interstitiis annuis, tribus consecutivè diebus Dominicis vel Festis duplicibus ordinari possint à quocunque Episcopo Catholico ab ipsis electo, & hæc Privilegia non esse revocata per *Trid. ex Dian. Tamb. Rodrig.* & aliis probat *Sporer à num. 121.* quidquid de hoc sit: Or

14.

Ordo noster Præmonstratensis 24. Jan. 1730. à
 Benedicto XIII. de novo impetravit Privilegium,
 ut sui Canonici Professi omnes sacros, etiam Presby-
 teratis, Ordines cum solis suorum Prælatorum te-
 stimonialibus, etiam extrà tempora à jure præfixa,
 diebus Dominicis vel aliis Festivis diebus etiam con-
 tinuis, non expectato anni curriculo, à quocunque,
 quem maluerint Catholico Episcopo etiam hospite,
 validè & licitè suscipere possint, idque perpetuo.
 Engel lib. 1. decret. tit. 11. à num. 33. generali-
 ter dicit, Abbates & Superiores Regulares exemp-
 tos ad quemcunque Episcopum dimissoriales dare
 posse, si in diœcesi loci non sit ordinatio; imò
 id simpliciter affirmant Nav. Sanchez Laym. l. 5.
 c. 9. Gobat, num. 406. tum quia Superior ex-
 emptus respectu suorum habet potestatem quasi
 Episcopalem; tum quia Trid. d. c. 10. tantum
 prohibet Abbatibus exemptis, ne dimissoriales
 subditis sæcularibus concedant, unde à
 contrario restè inferitur, eas
 concedi posse subditis
 Regularibus.



Ex Tractatu de Sacramento
Matrimonii.

C A S U S CIV.

De Sponsalibus.

Rabanus defloratam à se Titiam vario sub pre-
textu ducere renuit : 1. Quia fictè solùm
promisit Matrimonium, & est paratus eam
dotare. 2. Ipsa non repromisit. 3. Ipse promisit se-
mi-ebrius, ex vehemènti passione. 4. Ex errore,
& metu saltem levi, & dubitat, an inde contraxe-
rit publicam honestatem. 5. Promisit conditionatè.
6. Promisit simul tribus sororibus. 7. Cum Titia
habet impedimentum dirimens. 8. Promisit his
verbis : Non ducam aliam, nisi te, & parentes
promissionem acceptârunt tacente Titia. 9. Suos pa-
rentes non consuluit. 10. Se tantùm obligavit sub
veniali, vel sub pœnâ, & à juramento absolutus
fuit à Monacho. 11. Titia ex timore, ne malè
tractetur, consensit in dissolutionem sponsalium. 12.
Ipse vel ipsa fuit impubes. 13. Abiit extrâ patri-
am. 14. Matrimonium distulit. 15. Sponsus fuit
Religionem professus. 16. Vel saltem ingressus, &
ejectus. 17. Suscepit majores Ordines. 18. Vel
saltem minores, aut vovit suscipere majores. 19.
Ipse, vel ipsa ante vel post sponsalia vovit castitatem.
20. Ipsa contraxit sponsalia cum alio, que n jam du-
cere renuit. 21. Rabanus sibi copulat Cajam, hâc

mortuâ eum repetit Titia. 22. Ipse & ipsa habuerunt copulam & tactus cum aliis, at hoc de Titia non probatur, nisi per famam, 23. Status Titia est mutatus, sed est dubium, an mutatio sit gravis. 24. Titia est asperis moribus, & Rabanus ejusque parentes eam averfantur. 25. Laborat morbo Gallico, est deformata ex variolis, & plures habet annos, quam sciverit sponsus. 26. Passa est jacturam bonorum, nec potest solvere dotem. 27. Parentes Rabani minantur ex hereditationem, vel non procurare desideratum officium, si Titiam ducat. 28. Sponso supervenit inasperata hereditas, vel dignitas. 29. Titia non habet omnia signa nobilitatis, & dicitur antea habuisse virum. 30. Supervenit affinitas. 31. Sponsalia sunt jurata, & post predictos defectus Rabanus cum Titia iterum habuit copulam. 32. Vel ab initio eos defectus scivit, & dubitat, an teneatur eam dotare, si forte non teneatur ducere. 33. Dubitat, an justè resiliens teneatur saltem ad damna. 34. Et Titia dubitat, an novo sponso teneatur aperire, quòd sit fornicata, pauper ignobilis; quid si dicat se esse virginem; an occultè fornicata vel impragnata possit sponsum cogere ad servanda promissa
Pro Refol.

QUÆR. I. Quid sint Sponsalia?

- I. R. Sponsalia dicuntur à Spondeo, id est, promitto, & definiuntur c. nostrates: *Causa 30. q. 5.* Promissio mutua futurarum nuptiarum, ut autem sint valida, & obligatoria, debet promissio esse vera, mutua, deliberata, libera, absoluta, personarum certarum, & habilium, verbis vel aliis signis externis manifestata.

Dicitur I. Promissio; quia solum propositum, aut voluntas personam ducendi non facit sponsalia, nec causat obligationem.

Dicitur 2. *Vera promissio*, id est, *seria*, cum voluntate se obligandi, ideoque fictè promittens invalidè contrahit, & mortaliter peccat, nisi injustus & gravis metus, vel alia causa excuset, teneturque ad omne damnum alteri per ejusmodi fictionem causatum, & potest in foro externo ad ducendam personam cogi; imò ad hoc etiam tenebitur in foro interno, si sub ea promissione eam defloravit; neque tenetur ipsa contenta esse dote, quia ipsa persona determinatè promissa est, ita & debetur determinatè, uti probavi *Cas. 43.* ubi à num. 1. dixi, ad quid obligetur, qui abque promissione matrimonii, vi, fraude vel metu, aut etiam meris blanditiis puellam defloravit; item quæ causæ à ducenda, vel dotanda deflorata exculent, & quid juris sit, si ipsa affirmet deflorationem, & sponsus neget, quæ omnino hic sunt recolenda.

Dicitur 3. *Mutua*, id est, utramque personam obligans; nam si una pars liberaliter promittat matrimonium, alterâ non repromittente, sed nudè acceptante, obligabitur quidem promittens, sed non erunt propriè sponsalia, neque inde orietur impedimentum publicæ honestatis, *Sanch. l. 1. d. 5. Reiffenst. l. 4. t. 1. n. 18.* Quod etiam verum est, si una vel utraque pars se solum obligare velit sub veniali, vel sub nullo peccato. Dixi, *liberaliter*; nam si promittas matrimonium Titix ex spe mutux repromissionis, si illa non repromittat, nec tu obligaberis; imò in dubio ceteris te non gratuitò, sed spe, & intuitu repromissionis voluisse obligare; sic enim plerumque fit, & ex plerumque contingentibus prudens est præsumptio, *Sanch. n. 4. Schamb. l. 4. t. 1. n. 4. Engel. ibid. §. 2. n. 3.*

Di-

3. Dicitur 4. *Deliberata*, deliberatione scilicet sufficiente ad peccatum mortale; hinc qui non potest peccare mortaliter, nec potest contrahere sponsalia, velut amens, dormiens, furiosus, infans ante septennium, ebrius, &c. Qui etiam prævidens, & proponens in ebrietate contrahere, invalidè contrahit, quia talis contractus non erit liber in se, sed tantùm in causa; vehemens æstus libidinis vel amoris, vix unquam tollit deliberationem sufficientem; si enim illo æstu non obstante est sufficiens deliberatio ad peccandum mortaliter, cur non ad validè contrahendum sponsalia? Idem est de ira, vel simili passione impellente, nisi fortè cognitionem præveniant, quod rarum est, *Nav. Sporer, Schmalzgr. l. 4. t. 1. n. 21.* Sed quid, si dubium sit, an passio reliquerit deliberationem sufficientem? R. Standum esse pro valore actûs, *Felin. Sanch. d. 8. n. 10.* quia rarò contingit, quòd passio rationem evertat, & qualitas, quæ homini naturaliter inest, semper adesse præsumitur, & sponsalia sunt in possessione, quia certò constat esse contracta, & solùm dubitatur, an cum sufficiente deliberatione.

4. Dicitur 5. *Libera*, nam sponsalia inita ex dolo, aut errore circa substantiam, aut circa qualitatem redundantem in substantiam, sunt invalida, ut dicam C. 107. ex metu gravi, & probabiliter etiam ex levi in ordine ad sponsalia injustè incusso inita sunt ad libitum innocentis rescindibilia, etiam si fuerin jurata, vide *Cas. 49. n. 9.* ita tamen, ut tunc petenda sit relaxatio juramenti, quam pars nocens, vel eâ nolente Episcopus, aut pro foro conscientia Religiosi Mendicantes dare possunt & tenentur. Et quamvis sponsalia metu inita sint rescindibilia, & sponsalia impuberum post puber-

ntem rescindi possint, tamen causant impedimentum publicæ honestatis in primo gradu, ita ut qui ex metu, vel ante pubertatem contraxit sponsalia cum Titia, non possit ea validè contrahere cum ejus sorore, filiâ vel matre, *Pyrrh. l. 4. Decret. tit. 1. n. 31.* vide dicenda *Casu 109 à n. 1.*

Dicitur 6. *Absoluta*; nam promissio conditionata non est valida, nec inducit impedimentum publicæ honestatis, nisi impletâ conditione: tenentur tamen contrahentes, per se loquendo, expectare eventum conditionis. Excipiunt aliqui consanguineos, & affines contrahentes sub conditione impetrandæ dispensationis, quos dicunt tam ante, quàm post impetratam dispensationem resilire posse, eò quòd talis contractus sit contra jus commune, contra quod nemo tenetur agere; sed contrà est: Talis contractus non est de contrahendo matrimonio contra jus, & manente impedimento, sed post impetratam ex justa causa dispensationem: ergo est de re licita; ergo obligat. Vid *Cas. 43. n. 12.* an vero conditio impossibilis vel turpis, in sponsalibus habeatur pro non adjectâ sicut in matrimonio, dicam *cas. 105. n. 18.*

Dicitur 7. *Personarum certarum*; nam si quis simul pluribus dicat: Unam ex vobis ducam promissio non est firma, antequam unam certam eligat; tenetur autem unam eligere ex supposito, quòd promissionem acceptaverint, quia ad hoc videtur se vi promissionis obligâsse, & si cum unâ habeat copulam, censetur eam hoc ipso elegisse, & ipsam sub hac conditione & non aliter copiam sui corporis dedisse, *Sylv. Rebel. Wiest. l. 4. t. 1. num. 24.*

B

Di-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. IV.

7. Dicitur 8. *Personarum habiliū*; nam omnes personæ habentes impedimentum dirimens matrimonii (excipe præsentiam Parochi & testium, quæ ad sponsalia non requiritur, item ætatem, quæ hîc septennis sufficit) sunt inhabiles ad validè contrahenda sponsalia; hinc invalidè contrahunt consanguinei, affines, &c. nisi paulò antè, vel post, mentionem fecerint petendæ dispensationis; tunc enim censentur contraxisse non absolutè sed sub conditione petendæ dispensationis, *Sanch. l. 5. d. 5. n. 27.* Si existens in impedimento consanguinitatis vel voti sub spe matrimonii sponsam defloravit, tenetur petere dispensationem, si impedimentum sit dispensabile, ut dixi *Cas 43. n. 12.* Si fidelis promittat infideli sub conditione, si fiat fidelis, obligat quidem promissio, sed juxta mentem Ecclesiæ non sunt sponsalia, nec inducunt publicam honestatem, *Henriq. Avers. 9. 8. f. 5.*

8. Dicitur 9. *Verbis vel aliis signis externis* consensus internum manifestantibus; nam contractus humanus debet fieri contractu humano, & sensibili modo; verba autem adhiberi solita, & consensum certò significanda sunt: *Ducam te in uxorem, tibi nubam, accipio te in sponsum,* & similia, quæ significant im- vel explicitè obligationem contrahendi matrimonium; loco verborum etiam quandoque solent adhiberi signa, v. g. immissio annuli in digitum sponsæ, mutua datio, & acceptatio arrhæ; econtrà hæc forma: *Non ducam aliam nisi te,* non significat obligationem absolutam, sed solùm conditionatam, & habet hunc sensum: *Non ducam uxorem, vel si aliquam ducam, ducam te;* nisi fortè ex circumstantiis constet, quòd se absolutè obligare voluerit,

rit, aliàs poterit omninò à matrimonio abstinere; si tamen nubere velit, debet ducere hanc, *Gutierrez, Schamb. n. 19. Engel. n. 21. Reiffenst. num. 33.* quandoque ex juris dispositione taciturnitas est sufficiens signum promissionis sponsalitiæ, ut si pater nomine filii præsentis, vel concii & tacentis sponsalia contrahat, ex taciturnitate filii sponsalia sunt valida; idem est de patre respectu filii, item de tutore vel curatore respectu pupilli. *c. un. §. fin. de despons. impub. in 6.* hæc tamen non tenent, si constet reverà eorum consensum defuisse, quia præsumptio juris debet cedere veritati ad minus in foro conscientiæ.

10. Sponsalia inter absentes contrahi possunt per procuratorem, uti alii contractus, cum his tamen differentiis 1. Quòd in aliis contractibus possit procurator alium substituere, qui negotium exequatur, non autem in negotio sponsalium vel matrimonii. 2. Quòd procurator in aliis negotiis efficaciter non revocetur, nisi revocatio ipsi fuerit insinuata, in sponsalibus verò & matrimonio sufficit, quòd revocatio fiat mentaliter à Principali ante actualem contractum, quamvis nec procurator nec altera pars de hac revocatione quidquam sciat. Ratio est ex jure *cap. fin. de procuratore §. 1.* Addit 3. *Metzger* hanc differentiam, quòd sponsalia & matrimonium requirant speciale mandatum, alii verò contractus fieri possint per mandatum generale, hujus Ratio est, quia juxta *num. 6. sup.* promissio sponsalitiæ requirit personam determinatam. Probatum etiam ex *Clem. 2. de procurat.* apud *Metzger. hic n. 12.*

11. Licet sponsalia ordinariè contrahantur per verba de futuro, tamen ex juris disposi-

tione aliquando sunt valida, si fiant per verba de-
 præsenti, ut si impuberes inter se, vel etiam im-
 pubes cum pubere actu contrahat matrimonium,
 quod utique invalidum est defectu ætatis, cen-
 setur tamen per hoc contrahere vera & valida spon-
 salia, ut constat ex *cap. ult. de despons. impub.*
 quod aliqui etiam extendunt ad omnes alios, ita
 ut matrimonium clandestinè & nulliter contra-
 ctum valeat in vim sponsalium, causetque in-
 pedimentum publicæ honestatis, ut dicam *Cof.*
CIX. n. 14. & 20. quod tamen alii probabiliter
 non admittunt, quia contractus ab initio nullus,
 non transit in alium contractum validum, nisi
 jura sic statuunt; licèt autem sic statuunt pro im-
 pubere, id tamen non debet temerè extendi
 ad quoscunque alios, ita isti, Vide *Cof.*
cit.

9. 12. Ad valorem sponsalium non requiritur
 consensus parentum, *Trid. sess. 24. cap. 1. reform.*
matr. tenentur tamen proles in negotio summe
 arduo (utpote à cujus prudente electione plerum-
 que temporalis, & æterna pender felicitas) pa-
 rentes consulere, aliàs eos contristant, & se ip-
 sas utpote inexpertas & amore sæpè excæcatas in
 pericula conjiciunt; non tenentur tamen sequi
 consilium parentum, nisi ex matrimonio timeren-
 tur scandala, inimicitia, damnum familiæ, &c.
S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. Sanchez. l. 4. dis. 23.
à num. 9. Leur. l. 4 t. 1. n. 12. Ratio est, quia
 in contrahendo matrimonio proles sunt sui
 juris, neque cogi possunt aut debent, imò
 nec parentes consulere tenentur, si exinde
 prævideant matrimonium iniquè impediendum
 fore.

13. Pro cautela sponſalium Agenda Colonienſis de Anno 1720. pag. 184. meritò præſcribit ſequentia

1. Ut Paſtor aut ejus Vicarius contraſui ſponſalio adſit, non de valore, ſed de congruo.
2. Ut in contractum non conſentiat, niſi perſpexerit deſponſandos eſſe Catholicos, ab omni cenſurâ & impedimento liberofî; ſi advertat eos Rudimenta fidei ignorare, ſedulò inſtruat, denuntiationes tamen obinde non diu differat.
3. Attendat, num deſponſandi animo libero, & judicio mentis integro, ad ſponſalia contrahenda veniant; cum conſenſus in matrimonium debeat eſſe liberrimus.
4. Studiosè caveat, ne contrahant verbis de præſenti, ſed de futuro; aliàs enim accedente conſenſu non forent ſponſalia ſed matrimonium.
5. Poſt contracta ſponſalia eos inſtruat, quâ Religione & fide matrimonium inire debeant. Saræ & Tobix ſeptémque virorum, qui cum eam libidinis inſtinctu ducerent, ab Aſmodæo dæmone ſunt extincti, exemplum iis proponat, & præſertim illa Raphaelis Angeli verba: *Tobix 6. qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum à ſe & ſuâ mente excludant, & ſua libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus; habet poteſtatem demonium ſuper eos &c.*
6. Eos moneat, ut intra 40. dies ad ſolemnizationem matrimonii procedant, & interim ab omni commercio carnali abſtineant, à cujus periculo ut longius abſint, iis ſeriò injungat, ut nullatenus ſub eodem tecto habitent, ſecùs ſi faxint, ſe non ante ad matrimonii benedictionem illos admiſſurum, quàm ab invicem diſceſſerint, & dignè pro ſcandalo Eccleſiæ dato ſatiſfecerint.
7. Iis mandet, ut à ſuo quiſque Parocho denuntiationes fieri procuret, & ab alterutro dimiſſoriales ad al-

terum, qui matrimonium solenni benedictione celebraturus est, secum deferat. Cum verò in his partibus sponsalia plerumque non coram Parocho, sed in præsentia solùm cognatorum & amicorum contrahantur, Confessarii, apud quem sponsi ante contractum matrimonii confitentur, munus erit, iis congrua monita dare, & in necessariis quantum tempus patitur, instruere. Juvabit autem quàm plurimum, iis breviter ac emphaticè exponere obligationem proles, quas à Deo accepturi sunt, ab ipsa infantia optimis moribus instituendi, ac in omni virtutum genere eas educandi iisque bono exemplo præluendi, ut sic & suas & earum animas salvas faciant.

10. QUÆR. II. Quot & quales effectus habeant sponsalia.

R. Tres sunt effectus sponsalium. 1mus est impedimentum publicæ honestatis dirimens matrimonium, de quo plura *Cas. 109. à num. 13.* 2dus est obligatio cavendi omnia, quæ obstant sponsalium fidei & executioni, excepto ingressu Religionis; per promissionem enim sponsus acquirit jus quoddam in corpus sponsæ, & sponsa in corpus sponsi, contra quod jus si alteruter aliquid faciat, facit comparti injuriam. Dixi: *excepto ingressu Religionis*, hæc enim ex dispositione juris ob suæ perfectionis excellentiam permittitur, & solvit matrimonium ratum, multò magis sponsalia. 3tius effectus est obligatio gravis ex justitia suo tempore contrahendi matrimonium, quamvis enim promissio secundùm se tantùm obliget sub levi, scilicet ex sola fidelitate, ut dixi *Cas. 51. num. 2.* Si tamen constituat contractum onerosum in re gravi, uti promissio

sponsalitia, per se obligat graviter ex præmissis.

Duces seqq. 1. Si certum tempus præfixum est ad matrimonium contrahendum, illud servari debet, & quò diutius differtur matrimonium, eò plus subtrahitur de debito promissionis. Si nullum tempus sit præfixum, contrahendum est primâ occasione, quâ quis commodè potest, saltem ad instantiam compartis. Sicut tamen in aliis contractibus admittitur in dilatione parvitas materiæ, ita & hic. Tempus præcisè ad mortale requisitum non facilè determinatur; attendi debet ad circumstantias, utrùm compars sit rationabiliter & graviter invita, vel non, utrùm adsit scandalum, infamia Compartis, periculum incontinentiæ &c. volunt aliqui, non priùs urgere obligationem contrahendi, quàm urgeat pars altera; sed hoc admitti quidem posset respectu sponsæ, quia sponsus solet & facilè potest urgere, non verò respectu sponsi, quia sponsa sæpe ex verecundiâ & pudore non audet sponsum compellere.

2. Si contrahentes se solùm obligârint sub levi, vel ad perdendam arrham, ut possunt secundùm *L. arrhis* 3. *L. pen. cod. de spons.* sicuti tunc propriè non sunt sponsalia, ita non est obligatio gravis ad matrimonium contrahendum. Ex iisdem legibus videtur certum, sponsalibus de jure non posse adjici pœnam, v. g. si à contractu resiliat, dabis centum aureos; cùm verò amissio arrhæ reverà sit pœna, & ipsa per cit. leges approbetur, ne admittatur jurium contradictio, dicendum est, tantùm prohiberi pœnam solvendam ab eo, qui ex justa causa à contractu recedit; injustè differens sponsalia à iudice cogi potest per

cenfuras, vel carcerem; quod tamen facile fieri non debet, cum matrimonia coacta soleant esse infauſta.

3 Si ſponſalia ſint jurata, obligant ex juſtitia, & religione, & ea infringens duplex peccatum admittit in confeſſione explicandum; neque in hoc juramento diſpenſare poſſunt Epifcopi, aut Regulares privilegiati, niſi ſit dolo, vel injuſto metu extortum, quia talis relaxatio juramenti foret injuſta, utpote contra jus tertii.

QUÆR. III. Quot modis diſſolvi poſſint ſponſalia?

R. I. Præcipuè tribus, mutuo conſenſu, reſſu unius à ſponſalibus, & per ſupervenientem mutationem ſtatûs in anima, corpore, fortuna aut ſama; igitur

- II. *Per mutuum conſenſum* validè & licitè diſſolvuntur ſponſalia puberum, etiam jurata, quia hic contractus de ſe eſt diſſolubilis, & juramentum in favorem hominis factum, etiam ab eodem remitti potest; *nam omnes res, per quascunque cauſas natiſcitur, per eaſdem diſſolvitur, arg. c. 1. de R. ſ. in 6. Sanch. d. 52. Boſco. de Matr. d. 11. ſ. 2.* debet autem conſenſus in diſſolutionem ſponſalium eſſe liber ab injuſto metu, vel dolo; hinc ſi ſponſus dicat ſponſæ: *Niſi obligationem remittas, vel ſi cogar te ducere te tractabo ut ancillam, nullum oſtendam amorem &c.* vel fingat ſe hoc vel illo defectu laborare, ſe gratiam parentum, vel officium ſperatum obtinere non poſſe, & ſic extorqueat conſenſum in diſſolutionem, minimè deobligabitur, quamvis deobligetur pars innocens, ſeu ſponſa, quia ſponſus conſenſit liberè in diſſolutionem, non ſponſa, *Sanch. n. 3. Boſco num. 7. Schmalzg. n. 156.* Dixi, puberes; nam impu-

beres (quales sunt fœmellæ ante completum annum duodecimum, & masculi ante decimum quartum) non possunt solvere sponsalia ante completam pubertatem: quâ completâ conceduntur iis tres dies, quibus alter altero invito resilire potest, *c. de illis de despons. impub.* nisi impubes pubertati propinqui sponsalia juramento firmaverint, vel se carnaliter cognoverint, tunc enim dissolvi deberent utriusque consensu *c. ex litteris, c. à nobis de spons.* Quinam autem dicantur proximi pubertati, dixi *Cas. 50. num. 2.* Pubes cum impubere contrahens nec ante nec post alterius pubertatem resilire potest sine illius consensu, quia illud privilegium soli impuberi à jure conceditur; nec impubes ante pubertatem consensum dare potest, unde talis contractus dicitur claudicare in favorem impuberis. Si ambo sint impuberes, tunc qui prior pubertatem adeptus est, non tenetur expectare, donec altera pars pubescat, sed intra 3. dies potest resilire comparte invitâ.

R. 2. Recessus unius à sponsalibus etiam alteri 12. præbet causam recedendi, quamvis sponsalia juramento fuerint firmata; est communis & certa: quia juramentum fuit tantum appositum sub conditione mutuæ fidelitatis, quæ conditio, cum hîc non existat, juramentum est nullum: si unus injustè recedat, potest quidem pars innocens etiam resilire, sed non tenetur, ideòque etiam ex parte altera manebit obligatio in tantum, ut secunda sponsalia illius, quamvis jurata, & intercedente copulâ, sint nulla, utpote de re illicitâ; *tunc autem quis dicitur à sponsalibus recedere, si aliquid agat, ex quo ipso jure vel factò censeatur contractui renuntiare: quod fieri potest multipliciter.*

B §

Ut

Ut 1. Si sponsus absque licentia sponsæ abeat in aliam terram cum animo emanendi, vel sine spe redeundi, solvuntur sponsalia etiam jurata ex parte sponsæ, sive abeat ex causa utili, sive voluntariâ, sive ex animo mutandi domicilium, ita ut possit alteri nubere, *c. de illis de sponsal. Barbof. Sanch. d. 54. num. 6. Bosco d. 11. sect. 2. Pyrrhing. num. 48.* quia æquum non est, ut sponsa tam diu in incertum teneatur expectare cum periculo incontinentiæ, vel amittendi alias commodas nuptias; si verò spes sit eundem intra biennium, vel citiàs rediturum, debet sponsa expectare; vel si de hoc sit dubium, debet sponsum per litteras, vel nuntium (si possit) monere, ut intra certum tempus contrahat, vel obligationem remittat, *Koning hic n. 70.*

14. 2. Si una pars matrimonium injustè differat ultra terminum præfixum, aut si terminus præfixus non est, nolit contrahere alterâ petente, tunc innocens statim resilire potest; ratio est, quia si nullum determinatur tempus, sponsalia statim obligant; ergo si unus sponсорum sine legitima causa recuset, censetur resilire, & per consequens alteri præbere facultatem resiliendi, *Reiffenst. n. 218.* Si ex justo impedimento differat, & terminus præfixus sit non ad finiendam, sed urgendam obligationem, manet obligatio utriusque, *Castropalao, Engel. §. 3. Wiest. num. 115.* Si tamen ad longum tempus duraret impedimentum cum gravi alterius incommodo, judico, non impeditum resilire posse, sicut resilire posset, si altera pars ex justa causa patriâ discederet diu non reditura. Sed quid, si terminus præfixus est ad finiendam obligationem?

2. Tunc distinguendum est: vel enim per utrumque contrahentem stetit, quò minùs nuptiæ termino præfixo sequerentur, & eo casu ex parte utriusque solvuntur sponsalia, vel stetit solùm per unum quamvis inculpabiliter, v. g. ob morbum, negotia, &c. tunc hic adhuc obligatur, & alter liber manet, etiamsi sponsalia jurata sint, colligitur *ex c. sicut 22. de sponsal. ibi: nec per eum stetit. Laym. Sanch. d. 53. num. 6. Schmalzgr. num. 195. contra Bosco, Dicastill, Reiffenst. volentes, sponsalia solvi ex utrâque parte, quod verum est, si ita expressè convenerint, Ut nuptiis ex quâcunque causâ intra terminum non secutis utrâque pars sit libera, aliàs non.*

3. Certum est, quòd professio religiosa dirimat ^{15.} sponsalia; nam dirimit matrimonium ratum, *c. ex publico 7. de convers. conjug.* ergo multò magis sponsalia; excipe, nisi professio fieret in damnum sponsæ violatæ, vel imprægnatæ, quod dânum aliter, quàm inito matrimonio reparari non posset, tunc enim professio esset nulla, tam in ratione voti, cum sit de re hîc & nunc illicita, quàm in ratione contractûs ex parte religionis, quæ talem professionem admittere non vult, nec potest contra jus sponsæ violatæ; *Sanch. d. 44. n. 3. Reiffenst. n. 224. La Croix l. 6. p. 3. num. 188.* Dices: Ergo etiam professio erit nulla, & sponsus tenebitur redire ad sæculum, quamvis damnum sponsæ aliter, v. g. per dotationem reparari possit, quia sponsus promisit personam suam, & sub eâ spe sponsam defforavit, & cum possit solvere in specie, non satisfacit solvendo æquivalens. *q. N. Seq. Debitor tenetur solvere rem in specie debitam per se C. Per accidens, si jura aliter statuunt, uti hîc c. 2, §. 7 de conv. conj. N.*

4. Per

16. 4. Per ingressum in religionem solvuntur sponsalia ex parte illius, qui mansit in sæculo, ita ut illicò, si velit, alteri nubere possit, *Sylvest. Laym. c. 3. n. 3. Sporer n. 247.* Ratio est, tum quòd ingrediens censeatur hoc ipso sponsalibus renuntiare, tum quòd per ingressum fiat notabilis mutatio statûs ex parte ingredientis, ita ut alteri parti foret grave & dedecorosum nubere monacho, vel ei, quæ fuit monialis, neque præsumi potest, quòd compars ad hoc se voluerit obligare; atamen non tollitur obligatio ex parte ingredientis, ita ut rediens ad sæculum, sponsam ducere debeat, si ea velit, *Pont. l. 12. c. 10. Laym. Engel l. 1. Pyrrh. n. 5. cont Sanch. d. 42.* Ratio est, quia solus ingressus nec ex natura sua solvit sponsalia, cum ingrediens ad libitum redire possit, nec ex jure positivo, & remanens in sæculo juri suo non renuntiavit; ergo si alter ad sæculum redeat, tenetur implere promissum.
17. 5. Majores Ordines solvunt sponsalia, quia cum iis non potest stare matrimonium, ideòque impletio sponsalium fit impossibilis; illicitè tamen suscipiuntur sponsa invitâ, quia frangitur fides alteri data in materia gravi justitiæ, & per consequens tenetur ad omne damnum exinde emergens sponsæ, *Rebell. Perez. d. 9. f. 6. Engel. nu. 8. Leuren. q. 58.* Dices: Talis licitè proficere Religionem, quia sponsalia imbibunt hanc conditionem, nisi perfectiorem statum elegero, atqui status Ecclesiasticus etiam est perfectior matrimoniali, ergo. R. N. C. Quòd illa conditio imbibatur sponsalibus respectu Professionis Religiosæ, est ex speciali juris dispositione ob eminentiam statûs Religiosi, ex quâ Professio etiam dirimit matrimonium ratum, quod nullibi conceditur Ordinibus Sacris, imò

imò sponsa ad SS. Ordines non admittuntur, & sicut rem alteri debitam non licet vovere Deo, sic nec in fraudem sponsæ suscipere S. Ordines, & quidem si sponsa sit impiagnata, valent Ordines, sed non valet votum castitatis iis annexum, utpote de re illicitâ, ideoque tenebitur inire matrimonium, nisi timeantur alia mala, vel Judex Ecclesiasticus aliter disponat, *La Croix n. 197.*

6. Si sponsus sponsa in sciâ vel invitâ suscipiat Ordines Minores, probabiliter solvuntur sponsalia ex parte sponsæ, ita ut hæc resilire possit, *Tann. Gobat. Reiffenst. num. 230.* tum quia hæc est notabilis mutatio, & magna inconstantia ex parte sponsi, tum quia suscipiens minores Ordines censetur cum tempore etiam velle suscipere majores, (minores enim licitè non suscipiuntur nisi in ordine ad majores) sicque statum inire matrimonio repugnantem, consequenter remittere sponsæ obligationem, quod à potiori tenet de illo, qui post sponsalia vovit suscipere majores Ordines; quamvis enim tale votum sit nullum, tamen quantum est in se, intendit assumere statum matrimonio repugnantem, consequenter juri suo renunciare, *Sanct. d. 47. n. 4.*

7. Post sponsalia, nisi copula intercesserit, licitè quis vovet Religionem; si enim Religionem licitè ingredi possit, cur non eam vovere? sed tunc pars non vovens libera est à sponsalibus, quia vovens Religionem cum matrimonio incommensurabilem, hoc ipso renuntiat suo juri, ipse tamen non deobligatur, nisi secutâ Professione, ut dixi supra, *Tamb. Engel. §. 3. Schmalzgr. num. 102. Sporer num. 252.*

19. 8. *Votum castitatis post contracta sponsalia, in quantum præjudicat comparti, est illicitum & invalidum, non tamen dirimit sponsalia ex parte voventis, & benè verò ex parte alterius, Navarr. Pyrrh. num. 30. Engel loc. cit. Schamb. num. 14. Reiffenst. num. 236. colligitur ex c. veniens qui Clerici vel voventes; ubi Papa post sponsalia voventem puniri jubet; & ratio est, quòd votum de re alteri debita non sit Deo gratum, nec accipitur cum injuria tertii: in tantum verò valet tale votum castitatis, ut vovens obligetur non petere debitum, nisi quòd ad hoc ab Episcopo vel Regularibus privilegiatis sit dispensatus, imò sponsa mortuâ vel alteri nubente, obligatur ad integram castitatem, quia id tunc non cedit in præjudicium sponsæ; idem est de voto suscipiendi Religionem, vel SS. Ordines, cum hac tamen disparitate, quòd talis quidem peccet nubendo, non tamen petendo debitum, S. Thom. Nav. Engel, Schmalzgr. à num. 116. vide Cas. 106, à nu. 14. Dices: Qui post sponsalia vovit castitatem, licitè eam servare potest, ingrediendo Religionem: ergo ad hoc tenetur. R. N. C. quia non præsumitur se voluisse obligare ad castitatem per medium adeò arduum, quale est Religio, nisi ita expresserit, Castropalao, Navarr. Leuren. q. 59. Hactenus dicta intelligenda sunt de votis subsequentibus sponsalia; nam si votum continentia, votum SS. Ordinum, votum non nubendi, &c. præcesserint, indubitatum est, sponsalia subsequuta esse nulla, quia continent promissionem rei illicitæ, & Deo jam obligatæ.*

20. 9. *Secunda sponsalia contra fidem priorum sunt nulla, etsi sint jurata vel conjuncta cum im-*

imprægnatione; Ratio est, quia sunt de re illicita & alteri ex justitia debita, atqui promissio vel juramentum non possunt obligare ad rem illicitam, ergo. Imprægnator tamen tenetur imprægnatæ ad omne damnum, nisi ipsa impedimentum sciverit, & sic in suâ deceptionem consenserit; quod si secunda sit innocenter decepta, & damnum aliter, quam per nuptias reparari non possit, putat *Lopez. Sanchez.* primam, quæ damnum non est passa, ex charitate obligari cedere juri suo, quod non admittit *Reiffenst. t. 4. num. 8.* quia charitas non obligat ad relinquendum jus proprium pro avertendo damno proximi. Sed nunquid prima sponsa ex hoc, quod sponsus fidem dedit secundæ, etsi nulliter ex sua parte, poterit resilire? R. Affirmativè: quia tentans secunda sponsalia, quantum est de se, censetur renuntiare primis, ergo pars innocens potest recedere, & fidem frangenti frangere: quamvis autem primæ cedat juri suo, vel moriatur, propterea non obligant sponsalia secunda, quia contractus ab initio invalidus cum tempore non reconvalescit, *Sanchez. d. 50. La Croix num. 76.* excipe, nisi sponsalia secunda inita sint sub conditione, si prima sponsa obligationem remittat vel moriatur, & in dubio sic inita præsumuntur, quia aliter iniri non potuerunt sine peccato; delicta autem non præsumuntur. Si sponsa tua sit imprægnata ab alio, potest te inscio hunc ducere, quia si scires ejus constitutionem, certò resilires, ergo prudenter præsumeris consentire, ita tamen, ut ipsa tibi teneatur de damno, si quod inde tulisti.

10. Matrimonium contra prima sponsalia est ^{21.} quidem illicitum, attamen dissolvit sponsalia,

c. si inter d. 13. de despons. At quid, si uxor contra fidem priorum sponsalium ducta, moriatur, aut matrimonio nondum consummato profiteatur in religione approbatâ, an sponsus tenebitur adhuc ducere priorem sponsam, si ipsa velit? Negant Palud. Gutt. Laym. Pyrrhing. Reiffenst. l. c. quia obligatio semel extincta non reviviscit, sicut non reviviscit professio in ordine laxiore temel extincta per professionem in ordine strictiore; sed dicendum est, sponsum teneri redire ad sponsam primam, si ipsa velit, etsi hæc non amplius obligetur sponso ob violatam ab ipso fidem, Peretz. Haunold. de matr. num. 601. Sporer num. 263. La Croix 201. Wiest. num. 100. Schmalzg. tit. 4. nu. 34. Ratio est, quia tale matrimonium non planè extinguit, sed solùm suspendit obligationem, sicut si quis contra votum religionis ineat matrimonium, impeditur quidem executio voti, ipsum tamen votum non extinguitur, sed soluto matrimonio iterum obligat; aliud est de professione in Ordine strictiore; cum hæc enim desit perpetua, facit regressum ad laxiorem impossibilem.

11. Fornicatio sponsæ etiam vi illata, sive
 22. antecedit, sive subsequatur sponsalia, dat sponso, qui hoc ignoravit, jus resiliendi. Idem est, si sponsa sive ante; sive post sponsalia turpes tactus, oscula, amplexus ab alio liberè admiserit; econtrâ sponsa resilire potest ob solam sponsi fornicationem post sponsalia, non autem ob turpes tactus cum aliâ, nisi sint frequentes, ita quoad rem Peretz. s. 14. Sanchez. d. 63. Laym. c. 3. Bosco d. 11. s. 2. Sporer à num. 270. Schmalzg. à num. 163. Ratio est, quia in jure multò turpior habetur fornicatio, aut actus impudici sponsæ, quam

quàm sponsi; ergo si fornicatio vel tactus sponsi facti non sint post fidem sponsaliorum, non sunt causa sufficiens sponsalia solvendi. Excipè, nisi sponsus etiam ante sponsalia cum pluribus fuisset fornicatus, aut ex præcedente unicâ fornicatione suscitâset prolem, tunc posset sponsa id ex post cognoscens solvere sponsalia, *Pont. Bouac. Laym. l. c. Castropalao punct. 29. num. 4.* quia tunc esset notabilis mutatio ex parte sponsi, & matrimonium redderetur difficilius, tum ob alimentationem prolis, tum ob discordias oriri solitas. At quæ probatio fornicationis requiritur, ut obinde sponsalia dissolvi possint? R. Debet de fornicatione certò constare per gestationem uteri, confessionem rei, vel alia indicia, aut saltem de hoc debet esse publica infamia; aliàs sponsalia semel legitimè contracta manent in possessione obligandi, *Schneidevv. de nuptiis p. 4. n. 61. Zypaus de spons. c. 13. §. 50. König. hic n. 74.*

R. 3. Sponsalia dissolvi possunt, si ex unâ parte superveniat talis mutatio corporis, animi, fortune, &c. quæ si ab initio fuisset cognita, vel prævisa, altera pars non contraxisset; & quamvis hæc regula in aliis contractibus onerosis non admittatur, admittitur tamen in sponsalibus, ita ut pars, quæ ex illâ mutatione gravamen patitur, possit resilire à sponsalibus etiam juratis, non item altera, *arg. c. quemadmodum 25. de jurej. Sanch. d. l. 2. Eng. nu. 11. Castropalao p. 28. n. 6. Bosco s. 2. concl. 4. Pyrrhing. num. 63. Zoës n. 46. Scamb. num. 102.* Ratio est, quia promissio matrimonii (quod inducit vinculum indissolubile) requirit majorem libertatem,

C

quàm

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. IV.

quàm alii contractus; meritò tamen notat *La Croix n. 167.* sponsalia obinde non semper esse propriè conditionata, aut includere conditionem; *Si non oriatur mutatio*; aliàs enim ab initio essent invalida, & secutâ mutatione non causarent publicam honestatem; sed solùm reservatur facultas rescindendi, si aliquid interveniat, vel innotescat, quod ab initio cognitum sponsalia impedivisset; adeò, ut si sponsus vel sponsa juratò affirmet, quòd sponsalia minimè fecisset, si hoc, vel illud scivisset, vel prævídisset, ei in utroque foro fides sit adhibenda, *Covarr. Nav. Laym, n. 18. Reiffenst. n. 256.* Ratio est: quia in his, quæ ad animum pertinent, & testibus probari non possunt, ut intentio, ignorantia, scientia, &c. standum est juramento asserentis: si quis dubiter, an contraxisset, pro utroque foro præsumi potest, eum non fuisse contracturum, si mutatio sit gravis, & talis, ob quam alii prudentes non contraherent, *Leander, Bojco nu. 120.* quia fortissima præsumptio desumitur à communiter contingentibus; variæ autem sunt mutationes notabiles, ob quas alteri parti resilire licet.

24. Ut 1. Ex parte animi, si sponsus cognoscatur esse ebrietas, lusui, rixis multum deditus; si unus ex sponsis sit hæreticus, laboret gravi infamiâ ob furtum, homicidium, adulterium, magiam, &c. vel in uno deprehendatur notabilis morum asperitas, aut sævitia; si inter sponsos, vel eorum parentes exortæ sint capitales inimicitia, extraordinariæ animorum aversiones, ita ut timeantur infastæ nuptiæ, jurgia, lites, scandala, &c. communis Doctorum; at non facillè credendum est hæc adesse, nisi indicia

cia probent; sæpè enim finguntur talia purè ad declinandum matrimonium.

2. Ex parte corporis fit notabilis mutatio, si 25.
 unus ex sponsis fiat leprosus vel paralyticus, oculos vel nasum amittat, *c. quemadmodum, de jurej.* Idem est de aliis morbis incurabilibus, v. g. epilepsiâ, paralyfi, graveolentiâ oris, quæ curari non possit, *Sanch. Sporer. num. 281. Schmaltzg. nu. 189.* Idem plerique docent de morbo Gallico; verùm quia hic morbus nunc à peritis medicis perfectè curari solet, ex eo solo causa solvendi sponsalia non consurget, præsertim si infirmus eum sine culpâ contraxerit. Item si sponsa fiat mulrùm, & sponsus horribiliter deformis, si sponsa post sponsalia intelligatur esse inepta ad generationem, quam sponsus intendebat, ut si sponsus credebat eam habere 30. annos, cùm habeat 50. Si sponsus qui laborare deberet, comperiat laborare Herniâ, &c. Si autem hæc mala non sint certa, sed solùm probabilis aliqua de iis suspicio vel dubium, non solvuntur sponsalia, quorum obligatio est certa, quæ per incertam excusationem non tollitur, idèoque tunc res meliùs erit investiganda, vel expectanda declaratio judicis.

3. Ob mutationem in bonis fortunæ sponsalia 26.
 solvi possunt, si unus redactus sit ad inopiam vel sit passus magnam bonorum suorum jacturam, sive id contigerit ex ejus culpâ, sive injuriâ belli, furti, incendii, &c. Si sponsa vel ejus parentes dotem promissam dare non possint, vel non velint, quia sub illâ conditione continentur sponsalia contracta; *c. de illis 3. de condit. app.* In his pars, quæ damnum passa non est, resilire potest, & si uterque jacturam bo-

- norum fecit, uterque habet justam resiliendi causam; minùs enim apti sunt ad onera matrimonii sustinenda, nec in hac parte est locus compensationi, *Rebell. Pont. Tambur. Castropalao num. 4.*
27. Sola autem parentum, vel consanguineorum contradictio non sufficit ad solvenda sponsalia, nisi fortè conjuncta sit cum seriis minis exhæredandi, officio privandi &c. tunc solus ille, qui minas non patitur, resilire posset; ille verò qui minas patitur, si ex aliis bonis suis vel compartis honestè sustentari possit, tenetur stare promissis, si compar velit, sicut stare tenetur, qui fecit jacturam bonorum, etsi possit resilire pars altera, *Reiffenstul num. 282.* At quid si post contracta sponsalia superveniant insperatæ divitiæ, nobilitas, dignitas, an hic à sponsalibus justè recedere possit? Affirmant *Wex. Hurthado, Peretz. d. 9. f. 11. Schmier. hic 15. num. 149.* quia matrimonium redditur difficilius, & hæc sponsalia non fuissent contracta, si id ab initio fuisset prævisum; sed rectiùs negant *Gutt. Sanch. Castropalao n. 5. Pyrb. n. 64. Konig, num. 78.* Ratio est, quia cum pars altera non sit facta deterioris conditionis, non est privanda jure suo, & res debita tradenda est cum omni suo melioramento vel valore, qui succrevit, ut patet in contractu emptionis; ergo & persona tradenda est cum meliore suâ fortunâ; aliàs certè toties sponsalia infringere liceret, quoties sponsus ditiores vel nobiliores sponsam nancisci posset.
29. 4. Si ex post innotescat, quòd unus non habeat signa nobilitatis, quæ eum habere putabat alter, hic potest resilire, quia est defectus notabilis, ob quem proles in Germaniâ non admittuntur ad certos *Canonicatus, vel Comitatus;* si.

similiter si putasti aliquam esse virginem, sed postea intelligas esse viduam, habes causam dissolvendi sponsalia, tum quia vidua censetur longè vi-
lior, tum quia tu fores bigamus, & soluto matrimonio non posses absque dispensatione promov-
eri ad Ordines, quod videtur esse notabile incom-
modum, Sanchez, Castropalao p. 29. La Croix
num. 185.

5. Si superveniat, vel detegatur impedimen- 30.
tum dirimens matrimonium indispensabile, velut
impotentia, solvuntur sponsalia ex utràque parte;
si impedimentum sit dispensabile, v. g. affinitas ex
fornicatione post sponsalia cum consanguineâ
sponsi vel sponsæ, solvuntur solùm ex parte inno-
centis; ille verò qui est causa impedimenti, tene-
tur suis expensis petere dispensationem, si velit
pars læsa, tum ne ex delicto reportet commodum,
tum quia ponendo impedimentum læsit jus alterius
ergo tenetur ex justitiâ illud reparare; aut si inno-
cens alterius connubium ob ejus fornicationem
nolit, tenetur reus innocenti compensare damna,
si quæ obinde in præparatione nuptiarum vel aliter
est passus.

6. Hactenus dicta locum habent etiam in sponsa- 31.
libus juratis, ita ut ex iisdem causis dissolvi possint,
ex quibus non jurata, quia juramentum sequitur
naturam & condiciones contractûs, cui adjicitur;
excipe, nisi quis cognito ejusmodi defectu, vel cau-
sâ rescindendi, verbis aut facto, præsertim copulâ
carnali, sponsalia ratificaverit, Tamb. Bosco concil.
13. Laym. c. 2. Sitamen copulam habuisset, re-
verà non animo sponsalicio, sed merè fornicario,
in foro conscientiæ non censetur sponsalia ratifi-
casse, quia præsumptio debet cedere veritati, Sanch.
Tamb.

22. 7. Ut causa sit sufficiens à sponsalibus receden-
di, debet ejus cognitio post sponsalia supervenisse;
nam qui scienter & seriò matrimonium promittit
personæ, quam scit esse pauperem, deformem,
ignobilem, defforatum, &c. tenetur stare pro-
missis, nisi ex matrimonio timerentur perpetua
discordiæ, grave scandalum, infamia, ingens
damnum familiæ, eò quòd v. g. prohiberetur
adire Comitia, &c. tunc enim matrimonium
fieret illicitum, utpotè conjunctum cum pec-
cato vel damno tertii, aut totius familiæ; si
hæc incommoda absint, tenetur stare contra-
ctu, quia scienter contrahens cum paupere,
ignobili, &c. quòd suam personam censetur
renuntiâsse privilegio nobilitatis, divitiarum &c.
nec satisfaciât dotando, sed tenetur eam du-
cere, si ipsa velit, quia debitor potens solvere rem
in specie debitam, ad hoc tenetur; sed potest
solvere matrimonium in specie promissum, idque
ex justitiâ est debitum: ergo. V. *Casu 43. nu. 13.*
An verò quis teneatur personam à se defforantem
dotare, si ob damnum familiæ, periculum inimi-
citarum, vel aliter justè excusetur ab eâ ducendâ,
dixi *Cas. 43. n. 17.*

33. 8. Qui absque justâ causâ resilit à sponsalibus,
tenetur alteri ad omne damnum exinde ortum,
ut per se patet; qui verò justè resilit; ad nihil te-
netur, sive causa resiliendi teneat se ex parte alte-
rius sponsi, ut si hic sine sua culpa factus est pau-
per, leprofus, &c. sive ex parte sua, eò quòd
velit ingredi religionem, *Sanchez Bosco concl.*
14. La Croix à num. 218. Castropalao p. 33. Reif-
fenstul num. 323. contra Henno, Sporer. Ratio
est, quia resiliens utitur jure suo, & alter in simili
casu etiam uti posset: Ergo est æqualis utri-
usque

usque conditio. Dices 1. *L. si pecuniam, ff. de condit. ex causa dicitur: Si quis alterum conduxit ad iter faciendum, si hoc revocet, teneri servare indemnem de expensis pro itineris preparatione factis; ergo & ille, qui revocat sponsalia, tenetur alteri de expensis ad nuptias.*
 2. Jura non concedunt ingressum in religionem, nisi salvo jure alterius sponsi; aliàs etiam posse ingredi post sponsam defloratam. *R. ad 1. N.C.* In sponsalibus est æqualis utriusque conditio, & libertas ad resiliendum ex simili causâ, quæ libertas non est in conducente alterius operam. Ad 2. Si defloratio vel alia fraus non intercessit, nullius jus violatur, quia utrique æqualiter liberum est religionem ingredi.

9. Restat difficilis & practica quæstio, an sponsus vel sponsa laborans defectu occulto possit licitè sponsalia contrahere illum non aperiendo? Ad quam *R.* Si defectus importet impedimentum dirimens, vel sit multum noxius alteri parti, aut reddat matrimonium notabiliter difficilius, tenetur vel à contractu abstinere, vel illum defectum detegere, sive ante, sive post sponsalia emerferit, *Peretz. d. 11. f. 2. Gobat. t. 10. c. 9. num. 369. Castropalao punct. 30. Sporer num. 286. Reiffenstul num. 301. Leuren. 9. 68. La Croix num. 181. contra Sanchez. Dicast. Escob. & alios.* Ratio est, quia alterum decipit in re gravi, sicut qui ignoranti venderet merces inatiles, & noxias, ut dixi *Cas. 55. num. 10.* Hujusmodi defectus sunt: *Lepra. epilepsia, morbus Gallicus, gangrena &c.* nisi ante matrimonium curetur, *infamia* ex genere vel delicto, *impregnatio* sponsæ ab alio facta; hæc enim nota-

tabiliter matrimonium aggravant, utpote quæ vel afferunt educationem alienæ prolis, vel efficiunt sociali vitæ, vel causant gravissimas discordias aversiones, &c. Econtra si defectus occultus non multum noceat comparti, nec notabiliter difficilius reddat matrimonium, licet minus commodum, vel appetibile efficiat, non tenetur eum manifestare, talis est occulta fornicatio ignobilitas, paupertas, deformitas, mores improbi, à quibus se statuit corrigere, *DD. cit. Burgh. cent. 2. Casu 20.* Ratio est communis consuetudo & consensus, & plerumque manifestatio fieri non potest sine infamatione. *Dices,* Si altera pars sciret talem defectum, v. g. fornicationem, ignobilitatem, &c. non contraheret, imò à contractu justè resilire posset; ergo alter tenetur illum aperire, aliàs facit comparti injuriam, sicut injuriam facit, qui tacet vitium rei venditæ, quo cognito non fieret emptio. *R. N. C.* Ex communi consensu, & praxi, in sponsalibus ejusmodi defectus reticeri possunt, aliud est de emptione. *Dixi, defectus occultus;* nam si periculum sit, ne talis defectus, v. g. fornicatio, ex post erumpat, causetque graves discordias, erit à contractu abstinendum, quia matrimonium reddetur longè difficilius; minus licebit se fingere esse virginem, nobilem, divitem, quia vellet formalis fraus, *Castropalao, Leuren. l. cit.* Ex dictis sequitur, quòd sponsa occultè fornicatrix cum alio, adhuc sponsum ignarum cogere possit ad servanda sponsalia, quia illa fuerunt valida, & quamdiu fornicatio manet occulta, retinet jus ad matrimonium, imò in primo congressu licitè uti potest mediis ad occultandum vitium deflorationis ne à viro deprehensa malè tractetur, *Sanchez. d.*

27. num. 9. & si interrogata dicat, se esse virginem, solum peccat venialiter peccato mendacii; si tamen dicendo se virginem induxerit ad sponsalia, non potest cogere ad matrimonium, quia sic fingendo fecit injuriam, quam continuaret, Gobat, La Croix nu. 184. Sed quid, si ab alio sit imprægnata, & sponsus id ignorans velit eam ducere, an saltem metu infamiae incurrendae licite possit consentire non detectâ imprægnatione? R. Non posse: quia sponte supponet prolem alienam, cum damno mariti & prolium legitimarum sequentium; & quamvis proponat hæc damna præcavere vel compensare, tamen vix poterit, quia carebit probis, & spurius non tenebitur credere se esse spurium, ut dixi Casu 43. num. 12. & quia primò gignetur, fortè prætetendat jus speciale, ergo mater se saltem exponet periculo injustè damnificandi maritum & proles legitimas.



CASUS CV.

De Matrimonii essentiâ, indissolubilitate, &c.

Sabinus Theologus interrogatur : 1. *Quæ sit essentia, materia, forma, Minister matrimonii.* 2. *Quid si quis fictè contrahat, aut cum unâ fictè, cum alterâ verè.* 3. *Quid si consensus revocetur, vel exprimatur per verba dubia, vel sit indeliberatus.* 4. *An consensus debeat ferri in copulam.* 5. *Quid de eo, qui falsò credit, se habere impedimentum dirimens.* 6. *An nubenti invitis parentibus possit subtrahi dos vel hereditas, & quid si parentes contrahant nomine filia.* 7. *Quid & quotuplex sit conditio, modus, causa, demonstratio.* 8. *An conditio apponatur licitè.* 9. *An conditio de presenti suspendat valorem, quid si secuta sit copula.* 10. *Quid de conditione necessario eventurâ* 11. *An post eventum conditionis contingentis opus sit novo consensu, idque coram Parocho & testibus.* 12. *Quid si quis pendente conditione cum unâ, ducat aliam, vel habeat copulam.* 13. *Quid de hac conditione: Contraho tecum, si patri placuerit,* 14. *Si Papa dispenderit,* 15. *Si te virginem reperero.* 16. *Quid si conditio sit turpis vel impossibilis.* 17. *Quid in dubio.* 18. *Quid hic de sponsalibus.* 19. *Quid de conditione: Si castitatem voveas.* 20. *Ut liceat intrâ bimestre religionem ingredi, vel teneantur religionem ingredi,*

si intra annum non nascatur proles, vel certis diebus à copulâ abstinere. 21. Quid de hæreticis, qui contrahunt sub conditione, ut liceat repudium ex causâ fornicationis. 22. An possit matrimonium contrahi per procuratorem, vel per litteras. 23. Quid si consensus saltem internè revocetur, aut fidei datus renovetur, aut principalis interim fiat amens. 24. An mandatum dari vel procurator illud exequi debeat coram Parocho, quis possit esse procurator, an conficiat Sacramentum, debeâtque esse in statu gratiæ. 25. An matrimonii vinculum solvatur per professionem. 26. Vel dispensationem Papa. 27. Quid de consummato. 28. Vel matrimonio infidelium. 29. Quid observandum iudici in controversia de valore matrimonii. 30. Quid de divortio ex causâ pietatis. 31. Ex causâ delicti. 32. Quæ hinc pro praxi? Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid de matrimonii essentiâ, materiâ, forma, Ministro, &c. I.

R. 1. Matrimonium est legitima conjunctio viri & fœminæ, individuum vitæ societatem continens, seu est contractus, per quem mas & fœminæ sibi mutuam tradunt potestatem corporum pro usu perpetuo ad procurandam, & honestè Educandam prolem. Hic contractus est verum novæ legis Sacramentum. Est de fide ex Conciliis Florent. & Trident. sess. 24. Can. 1. ubi sic habet: Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis à CHRISTO Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiâ inventum, neque gratiam conferre; anathema sit. Nomen matrimonii desumitur à τὸ mater, non tantùm quia communiter matres facit, sed quia matres in gestandâ, pariendâ, & educandâ prole plus
ope-

operæ impendunt; hinc dicitur quasi *Matris munium* seu officium, vel, ut aliis placet, *Matrem muniens*, eo quòd uxor per Virum muniatur. Alio nomine dicitur conjugium, derivatum à jugo & conjungo, quia dos sub eodem jugo perpetuo conjungit. Denique dicitur connubium, vel nuptiæ, quia olim puellæ, cum viris traderentur pudoris causâ solebant se velamine obnubere, & quasi nube obtegere. Nunc per nuptias propriè non intelligitur matrimonium, sed ipsa solemnitas, seu pompa exterior, quæ plerumque adhiberi solet, dum inicitur matrimonium, quo solo sensu nuptiæ tempore adventûs & quadragesimæ prohibentur.

2. 2dò. *Materia remota* matrimonii est jus in corpora, quod sponsi sibi mutuò tradunt: *proxima* est consensus seu mutua traditio & acceptatio hujus juris. *Forma* sunt verba vel signa externa consensum exprimentia: *Minister* sunt ipsi contrahentes, non autem Parochus, qui tantùm Matrimonio assistit, illudque nomine Ecclesiæ, suscipit & ratificat. Est communis, Ratio est, 1. quia Florent. in decreto de Sacramentis sic loquitur: *Septimum est Sacramentum Matrimonii, Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de presenti expressus.* Subsumo: atqui contrahentes ponunt consensum & mediante illo efficiunt matrimonium, ergo & Sacramentum; de hoc enim hìc est sermo, 2. quia ibi ex professo traditur doctrina Sacramentorum, quæ esset valde manca, si non comprehenderet omnia ad valorem hujus Sacramenti necessaria, inter quæ est persona ministri. 3. Trident. sess. 24. Can. 3. definit absque ullâ exceptione ma-

matrimonium, videlicet Christianorum, esse Sacramentum; debuisset autem excipere clandestinum, si minister hujus Sacramenti esset Parochus. & cap. I. de reform. docet, *clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, fuisse rata & vera matrimonia, quamdiu Ecclesia irrita non fecit.* atqui matrimonia dicuntur rata ratione Sacramenti, uti declaratur cap. quando de divortis, ergò. 4. CHRISTUS non instituit specialem aliquem ritum pro hoc Sacramento, sed ipsum matrimonii contractum elevavit in baptizatis adesse Sacramenti, ergò hoc ipso, quòd baptizati cum debita intentione, ad Sacramentum requisitâ ineunt hunc contractum, habetur id omne, quod requiritur ad hoc Sacramentum. s. in re dependente à solâ voluntate CHRISTI, est sentiendum cum pluribus; pro hac sententiâ sunt longè plures, ergo.

3. Matrimonium dividitur in legitimum, ratum, & consummatum. *Legitimum* tantum est, quod legitimo consensu inter personas habiles contrahitur, & non habet rationem Sacramenti, quale olim erat in lege naturæ & Mosaicâ, & adhuc inter Gentiles, & Judæos initur. *Ratum*, quod à baptizatis contrahitur, habetque rationem Sacramenti, cui si accedat copula carnalis, dicitur *consummatum*.

QUÆR. II. Quid circa consensum contrahentium?

2.

R. Hic consensus est ita necessarius ad valorem matrimonii, ut à nemine, nisi à solo Deo, suppleri possit, qui cum sit Dominus omnium, posset etiam homine invito ejus corpus tradere alteri ad usum conjugalem; ut autem consensus sit legitimus, debet.

I. Esse

1. Esse verus, non fictus, aliàs matrimonium erit nullum, & fingens graviter peccabit contra reverentiam Sacramenti, & contra justitiam, *Avers. q. 3. s. 1. Schamb. l. 4. t. 1. nu. 143. Pyrrhing. ibid. num. 97. Konig num. 104.* quia in contractu oneroso si unus ponat partem suam, habet jus, ut etiam alter adjiciat suam, ideòque regulariter tenebitur talem ducere, & consensum injustè subtractum renovare, quia damnum hoc vix aliter potest resarcire, & innocens ab aliis nuptiis repellatur, cum prius matrimonium præsumatur validum; excipe, nisi altera pars pariter usa sit fraude, vel alter injusto metu ad matrimonium fuerit coactus, tunc enim non tenebatur consentire; sed quid, si Titius primò fictè contrahat matrimonium cum Titia, & post seriò cum Caja? *R.* In foro conscientie debet manere cum Caja, ita tamen, ut Titie satisfaciatur pro damnis, si quæ ex fictione passa est; in foro autem externo cogetur manere cum prima, nisi fictionem claris & indubitatis probet indicis, neque ceditur juranti, quia posito actu externo consensus internus præsumitur, *Laym. c. 6. n. 3. Schamb. num. 144. Wiest. ibid. nu. 140.* deberet tamen excommunicationis sententiam ex quodvis aliud in foro externo (nam in foro conscientie coram Deo censuram non incurrit) potius sustinere, quàm in copulam cum prima consentire; esset enim verum adulterium per se intrinsecè malum, quod neque ab Ecclesia, neque ab alio quocunque præcipi, neque vitandæ etiam mortis causâ licere potest, *S. Thom. Supplement. 3. part. 9. 85. Laym. c. 6. in fine. Spor. part. 4. n. 434.*

2. Consensus debet esse mutuus & simultaneus, ita ut si unus posuerit consensum, eundem non revocet, antequam consentiat alter. 3.

3. Debet consensus esse manifestatus per verba, nutus, scripturam, procuratorem, aliàs contractus non foret sensibilis & humanus; si verba vel signa sint dubia, magis intentio, quàm verba, attendenda est, quia verba intentioni deserviunt, & non intentio verbis.

4. Consensus debet esse plenè deliberatus deliberatione sufficiente ad mortale peccatum, ut dixi *Cas. preced. n. 3.*

5. Ad valorem matrimonii requiritur consensus in mutuam corporum traditionem, in obligationem justitiæ ad conjugalem copulam, obligationemque abstinendi à quâvis aliâ; in dictâ enim traditione & obligatione consistit essentia matrimonii. Contra verò quia carnalis copula, mutua cohabitatio, & fidelitas non sunt de essentia matrimonii, in hæc non necessariò fertur consensus. Unde valebit matrimonium, quamvis aliquis proponat abstinere à copula, vel cogitet adulterari, vel conjugem deserere, modò seriò intendat contrahere, & se obligare ad eam fidelitatem, & ad reddendum debitum; quia voluntas implendi contractum non est de essentia contractûs ut dixi *Cas. 48. n. 2.* Unde patet, B. Virginem cum S. Josepho verum habuisse matrimonium, quia tradidit potestatem sui corporis, & obligavit se ad debitum conjugale, casu quo S. Joseph exigeret, quamvis per revelationem sciret, id à S. Josepho nunquam fere exigendum, ideò
que

que hoc matrimonium suo voto castitatis non obfuturum, *Castropalao d. 2. p. 1. num. 3. Schmaltzgr. l. 4. t. 1. num. 263.* Si autem in ipso contractu addatur conditio: *Duco te, si vivas mecum in perpetua castitate, si eam voveas &c.* non valet matrimonium, ut dicam infra n. 19.

5. 6. Qui pro certo (etsi reverà falsum sit) credit adesse impedimentum dirimens, non potest seriò & validè velle matrimonium, voluntas enim non potest velle impossibile cognitum, ut tale; aliud est, si timeret aut suspicaretur adesse impedimentum, & interim vellet facere quantum potest, tunc si reverà nullum impedimentum adfit, matrimonium erit validum, *Sanchez Tamb. Sporer à n. 317.*

7. Ut consensus in matrimonium sit licitus, debent saltem requiri parentes, nisi prudenter credantur matrimonium injustè impedituri, ut dixi *Casu preced. n. 9.* Filius irrequisitis vel in vitis parentibus nubens etsi peccet, tamen est alimentandus, & filia juxta statum mariti dotanda, quia dos succedit in locum alimenti, quod jure naturali debetur prolibus, minùs poterunt obinde exheredari, quia hic casus in *Novell. 115. c. 3.* non numeratur inter causas exheredationis; in odiosis autem non est facienda extensio, *Engel. l. 4. tit 2. §. 2.*

6. 8. Si parentes filio vel filiâ præsente, & tacente ejus nomine matrimonium contrahant, juxta *Bosco Zoef. La Croix n. 272.* filia censetur consentire, etsi id neget *Konig. Pont. Schmaltzgr. n. 247.* Certum est, in foro conscientie matrimonium non præsumi validum, si filia neget se consensisse, quia in foro interno sicut creditur dicenti contra se, ita & dicenti pro se.

QUER.

QUÆR. III. Quid de consensu vel matrimonio conditionato?

R. I. Matrimonium, idem est de sponsalibus, potest contrahi absolute absque omni adjectione modi, vel conditionis, ut: *Duco te in meam, vel conditionatè; Condicio autem est circumstantia dispositioni vel contractui adjecta, à cuius existentia volumus dependere contractus valorem*, aliquando exprimitur verbis, per tò *Si*, aliquando retinetur in mente, ut: *Duco te, si pater tuus consentiat, si es virgo, &c.* Alia est de futuro contingente vel indifferente ad esse vel non esse, ut: *Duco te, si pater meus consentiet, & hæc sola propriè est conditio.* Iterum alia est de re possibili, quæ evenire potest; alia de impossibili, quæ evenire non potest; alia de re necessariâ, alia de re contingente; alia est intrinseca & necessaria ad valorem contractus, ut: *Duco te, si consentias, si non habeas impedimentum dirimens, &c.* & hæc licitè apponi potest, imò semper imbibitur, alia est extrinseca. Item alia est de re honestâ seu licitâ, alia de illicitâ & turpi; & hæc iterum alia est contra substantiam vel finem matrimonii, (qui triplex est, perpetuitas, bonum prolis, & mutua fides) alia non est contra finem vel bonum matrimonii. Contractibus etiam adjici solet modus, causa, demonstratio. *Modus* est onus contractui adjectum, ad quod post contractum perfectum obligare volumus contrahentem, & exprimi solet per tò *Ut*, v. g. *Duco te, Ut adferas talem dotem. ut procures mihi officium, &c.* Distinguitur à conditione, quòd hæc suspendat valorem actus usque ad eventum conditionis,

D

mo-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. IV.

modus supponit actum validum cum obligatione ad onus adjectum; si contrahens nolit valere contractum, nisi impleto onere adjecto, non est propriè modus; sed conditio. *Causa* denotat motivum contrahendi. *Demonstratio* denotat qualitatem, per quam determinatur & demonstratur persona, cum quâ quis vult contrahere. De his vide *Cas. 48. à n. 5.*

8. *§. 2.* Circa conditiones honestas & possibiles tenenda sunt sequentia.

1. Quamvis certum sit, matrimonium non minùs, quàm alios contractus sub conditione iniri posse, id tamen ob plura incommoda consultum non est, nec Parochi tali matrimonio facilè debent assistere, aut si ex gravi causâ assistant, illud consummare non permittant, donec certò constet de conditionis eventu, aliàs enim sponsi exponunt se periculo fornicationis, & in affectu reverà fornicabuntur.

9. 2. *Conditio de praterito vel presenti* non suspendit matrimonii valorem, sed vel statim reddit validum, si conditio existat, vel invalidum, si non existat, & semel invalidum non reconvalefcit etiam per subsequutam copulam, *S. Bonav. Palud. Covar. Schmalzgr. tit. 5. n. 22. La Croix p. 3. n. 248.* Quia quod absolutè nullum est, non validatur tractu temporis; unde si Cajus cum Caja contrahat sub conditione, si sit nobilis, si honestè vixerit, &c. & Caja promittit se intrà quatuor septimanas daturam testimonia nobilitatis & honestæ vitæ, & interim Cajus cum eâ matrimonium consummet, & ex post audiat testimonia esse falsa, matrimonium non obstante copulâ erit invalidum, quia non subsistit veritas conditionis.

3. Con-

3. *Conditio necessaria* etiam de futuro non suspendit valorem, sed habetur pro non appositâ, *Nav. Schamb. l. 4. tit. 5. n. 9. Kon. ibid. n. 18. Reiffenst. ibid. n. 10.* Ratio est, quia cum conditio necessaria jam sit determinata in causâ & certò eventura, habetur pro existente: intellige, si contrahentes sciant conditionem esse necessariam; nam si putent esse contingentem, in eorum intentione erit contingens & suspensiva contractûs usque ad eventum conditionis, *Henriq. l. 11. c. 12. nu. 4. Sanch. l. 5. d. 2. num. 3.* Idem est, si ex circumstantiis facilè colligatur, quòd conditio non apponatur ut suspensiva, sed ut determinativa temporis, ut si quis dicat: *Contraho tecum, si pater meus morietur.* id est, quando pater meus morietur; etsi enim hæc conditio necessariò futura sit, non tamen propriè conditio, sed temporis designatio est.

4. *Conditio de futuro contingente possibili* & honesto, v. g. *si pater tuus consentiat, si officium obtinebis, &c.* suspendit valorem usque ad eventum conditionis, & conditione eveniente matrimonium fit absolutum & validum, obligatque sine novo consensu, etsi contrahentes id ignorent vel dormiant, *Nav. Castropalaopun. 11. f. 8. Bosco d. 11. sect. 8. Vallensis hic n. 2. Pyrrh. n. 23. Sporer n. 333. Reiffenst. nu. 16. Krimer hic n. 483.* contra multos. Ratio est, quia alii contractus positâ conditione fiunt absoluti sine novo consensu, nec aliud Ecclesia statuit de matrimonio, & contrahentes permanserunt habiles, & neuter consensus ante eventum conditionis fuit revocatus, ut supponitur; aliàs enim certò esset renovandus, ut per se patet, atque ita habere stylum Curia Romanæ testatur *Fagn. in c. super*

eo de condit. appof. Sed nunquid in locis ; ubi Trid, receptum est, purificatio conditionis intrinsecari debet Parocho & testibus, ut hi de matrimonio jam absolutè valido in foro externo testari possint ? Affirmant Engel, num. 15. Laym. c. 7. Konig, num. 3. at rectius id negant requiri Navar, Sanchez. Bosco sup. Krieger num. 753. Krimer num. 872. & pro hoc duas decisiones S. Congregationis adducit Fag. l. cit. Ratio est, quia per solum conditionis eventum matrimonium fit absolutum, etsi id Parochus & testes ignorent, sicut matrimonium de præsentibus hoc ipso fit absolutum, quòd conditio existat, etsi id ignorent Parochus & testes ; sufficiet igitur tunc demum de eventu conditionis docere, cum valor matrimonii cœperit impugnari.

12. 5. Qui sub conditione de futuro duxit unam, peccat, si pendente conditione ducat aliam, quia tenetur expectare eventum conditionis : valet tamen matrimonium secundum ; si duas duxit sub conditione, valet matrimonium illius, cujus conditio primò impletur ; si simul impletur, nullum valet, Sanch. l. 4. d. 8. Sporer num. 332. Zoef, num. 15. Sed quid, si ante eventum conditionis de futuro sponsi se carnaliter cognoscant, an hoc ipso censeantur absolutè consentire, & recessisse à conditione in futurum relatâ, eamque pro non apposita habere ? R. Affirm. si copulam habuerint affectu maritali, quod in dubio præsumitur, c. de illis c. per tuas de condit. appof. præsertim in foro externo. Ratio est, quia matrimonium sub conditione de futuro non est absolutè nullum, sed suspensum ad eventum conditionis, & partes conditioni à se positæ renunciare possunt, & renunciare cen-

sentur per copulam, nisi copula intercesserit ex errore, v. g. Titius duxit Titiam sub conditione, ut doceat de nobilitate, de legitimis natalibus, &c. ipsa si adferat testimonia falsa, & obinde Titius matrimonium consummet, matrimonium erit nullum defectu consensus.

6. Si sponsalibus vel matrimonio apponas conditionem hanc: *Contraho tecum, si patri placuerit*, ^{13.} si conditio est de præterito vel præsentis, statim valet, vel non valet, prout conditio existit vel non existit. Si est de consensu patris futuro, & pater interrogatus taceat, censetur consentire, vel saltem non ægrè ferre, ideòque matrimonium tunc fiet absolutum, *Sylv. Rosell. Lopetz. Sanch. l. 5. d. 7. n. 12.* Si dissentiat, matrimonium est nullum, & non fit absolutum, etsi pater ex post consentiat, quia per primum dissentium corrumpit conditio, & uterque altero invito resilire potest, *Sol. Sanch. n. 9. Schmaltzgr. n. 52.*

7. Etsi valeant sponsalia inter impeditos sub conditione: *Si Papa dispenses*, modò impedimentum sit tale, in quo Papa possit & soleat dispensare, ut dixi *Cas. preced. nu. 5.* Id tamen valde incertum est de matrimonio sic contracto; valere & secutâ dispensatione fieri absolutum docent *Sanch. Pyrrh. Eng. Bosco l. cit. Reifensst. n. 25. Dicast. Krimer n. 853. Schmaltzgr. n. 8.* Ratio est, quia talis conditio est honesta & possibilis; Papa enim in tali impedimento ex causâ licitè & validè dispensare potest, ut supponitur; & quamvis personæ impeditæ sint inhabiles ad contrahendum absolutè, non tamen ad contrahendum sub conditione dispensationis; econtrâ tale matrimonium etiam post eventum conditionis non valere, sed requiri novum

vum consensum, docent *Rosell. Sot. Sylv. de Luca*, *Wagnereck. Avers. q. 5. s. 2. Dian. p. 11. t. 2. n. 7.* ubi plures citat decisiones Rotæ, *La Croix nu. 244.* Rationem dant, quia persone tales sunt inhabiles, & manente impedimento consensus illorum est omninò nullus; ergo ut matrimonium valeat, requiritur sublato impedimento novus consensus, aliàs uterque resillire poterit. Confirmatur, si vir fidelis mulieri infideli dicat: *Contraho tecum matrimonium, si baptizeris.* Item, si duo fideles dicant: *Inimus matrimonium, si comparuerimus coram Parocho & testibus.* Item si conjugatus dicat inuuptæ: *Duco te, si uxor mea fuit mortua,* utique nihil faciunt, (quamvis conditio de se sit honesta & possibilis) sed post eventum conditionis requiritur novus consensus: ergo & hîc, Hæc sententia non est minùs probabilis quàm prior: at in dubio standum est pro valore matrimonii jam contracti.

15. 8. Sponsalia vel matrimonium sub conditione: *Si te virginem reperero*, id est, si per inquisitionem in tuam vitam, vel per inspectionem honestarum matronarum talis inventa fueris, conditio erit honesta possibilis: econtrâ si sensus sit: *Si te in primâ copulâ, vel per propriam inspectionem talem reperero*, conditio erit turpis ac proin de eâ, ut de turpibus iudicandum, *Kramer n. 827. Reiffenst. n. 38.*

16. R. 3. Circa conditionem turpem & impossibilem servanda sunt sequentia.

1. Conditio turpis, aut impossibilis, substantiæ matrimonii non repugnans in foro externo habetur pro non adjectâ: econtrâ si repugnet bono matrimonii, (quod triplex est, pro-

proles, mutua fidelitas, & indissolubilitas:) matrimonium reddit nullum, ut si alter alteri dicat: *Contraho tecum, si generationem proles evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditio-rem, aut si pro questu adulterandam te trades, &c.* Matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu, licet alie conditiones appositae, si turpes aut impossibiles fuerint, propter eius favorem pro non adjectis haberi debeant, c. fin. de condit. appos. Si itaque ineatur matrimonium sub conditione, ut sibi liceat copula cum alio, est contra substantiam; nam de essentiâ matrimonii est mutua fides, seu obligatio se non commiscendi cum alio. Item contra substantiam est conditio, ut liceat sibi generationem proles evitare, seminando extra vas, procurando sterilitatem, vel abortum, quia est contra bonum proles; econtrâ si ineatur sub conditione: Si mecum fueris, est turpis, sed non contra substantiam, ideòque in foro externo matrimonium censetur validum, & conditio habetur pro non appositâ. Notanter dico, in foro externo; nam in foro conscientiae standum est intentione, quam contrahentes dicunt se habuisse, qualiscunque conditio fuerit adjecta; hinc si contrahentes seriò alligaverint suum consensum conditioni impossibili, matrimonium erit nullum, Peretz. Pyrrh. hic n. 18. Engel. n. 12. Ratio est, quia tunc deficit consensus, quem Ecclesia supplere nequit; item si vel unus contrahentium ignoret conditionem adjectam esse impossibilem, quia tunc consensus conditioni seriò censetur alligatus, ergo illa corrumpente corrumpit. Idem est, si unus ignoret conditiones impossibiles in jure haberi pro non ad-

jectis, talis enim non censetur contrahere secundum jus, (utpote quod ignorat) sed potius secundum naturam conditionis impossibilis, quæ ex se importat dissensum, cum nemo seriò velle censetur id, quod cognoscit esse impossibile, *Cov. Sanch. l. 5. d. 3. Schmaltzgr. a n. 6.*

17. 2. Econtrà quando dubium est, quâ intentione conditio turpis vel impossibilis adjecta sit, an seriò, joco, vel ex errore, præsumitur adjecta ex errore vel joco, ideòque habetur pro non adjectâ, & matrimonium est validum etiam pro foro conscientie, tum quia in dubio præsumendum est pro valore actûs, tum quia contrahentes præsumi debent voluisse contrahere secundum mentem Ecclesie, quæ vult tales condiciones haberi pro non adjectis, *Reiffenst. n. 42.* Quod verum est, siue conditio turpis vel impossibilis sit de præterito, præsentè, vel futuro, *Krimer. n. 842.* quia est par ratio, & in dubio de intentione adjicientis conditionem, conditio explicanda est secundum leges, modò contrahentes leges istas non ignoraverint, ut dixi
18. *suprà.* At nunquid sicut matrimonium ita & sponsalia sub conditione impossibili contracta censentur valida, & conditio habetur pro non adjecta? Affirmant *Sot. Palud. Bosco s. 8. Sanch. d. 17.* quia sponsalia sunt via ad matrimonium, at rectius negant *Peretz. Zoef. n. 22. Eng. num. 15. Schamb. n. 11.* Ratio est, quia de sponsalibus jus quòdam nihil disposuit, & omnia quæ statuuntur de matrimonio, non sunt extendenda ad sponsalia, aliàs enim clandestinitas officeret sponsalibus, imò omnes contractus sub conditione impossibili (excepto matrimonio & ultimis voluntatibus) de jure sunt nulli, *l. non*

sola, ff. de oblig. Sponsalia sub conditione turpi
 de futuro non obligant ante impletam conditio-
 nem, ut: Ducam te, si mecum forniceris,
 conditione verò impletâ inducunt obligatio-
 nem, nisi conditio sit contra bonum matri-
 monii, *S. Thom. Reiffenst. à n. 52. Wiest. n. 42.*
 Ex dictis.

Resolves seqq. 1. Si quis in ipso contractu
 matrimonii addat hanc conditionem: *19.*
 Ducam te, si castitatem voveas, si eam mecum perpetuò
 serves, non valet matrimonium, *S. Thomas in*
4. d. 28. q. un. art. 8. ad 3. Bonav. Sobus, Engel.
num. 10. Pyrrh. num. 12. contra Rebell. Bosca,
Krimer. num. 805. La Croix. nu. 228. & alios.
 Ratio est, quia hæc conditio etsi sit honesta,
 repugnat tamen substantiæ matrimonii, talis
 enim vi contractûs daret alteri jus ad corpus,
 & se obligaret ad reddendum debitum, si al-
 ter peteret, & vi ejusdem contractûs per appo-
 sitam conditionem vellet se & partem obliga-
 re ad non reddendum, etsi peteretur, quia vi
 contractûs vellet obligare ad perpetuam casti-
 tatem, quod implicat. *Confirm.* Vel tales conju-
 ges retinent jus ad usum copulæ, vel non?
 Si retinent, ergo justè & licitè copula utuntur,
 & conditio castitatis frustra adjicitur; vel non re-
 tinent jus ad copulam, ergo eodem instanti illud
 jus sibi mutuò tradunt, & simul abdicant, quod
 implicat in terminis. *Si dicas:* Tradi jus remo-
 tum ad copulam, & abdicari jus proximum.
 Contrà est: Non potest explicari, quid sit illud
 jus proximum. Deinde sicut non potest quis
 tradere dominium utile agri, quin hoc ipso
 tradat jus proximum utendi agro; sic nec
 potest tradi dominium corporum ad usum

conjugalem, quin eo ipso tradatur jus proximum utendi copulâ, quod jus tamen simul per appositam conditionem abdicatur,

Dices 1. Jus ad copulam seu obligatio reddendi debitum non est de substantia matrimonii, quia salvâ ejus substantiâ tolli potest, ut fit; quando alteruter conjugum lapsa est in adulterium.

2. Sponsi contrahere possunt matrimonium cum intentione servandi castitatem, vel ingrediendi religionem, *c. commissum. 16. de condit. appof.* ergo id possunt in pactum deducere.

3. Voluntas utendi copulâ non est de essentia matrimonii, sed sola traditio juris ad copulam: ergo simul stare possunt velle habere jus ad copulam, & velle se obligare ad non utendum copulâ: sed hoc fit, si apponatur conditio servandi castitatem, *Confirm.* Potest traditio dominium directum absque dominio utili: ergo etiam tradi corpora sine jure ad usum conjugii.

4. Conjuges post initum matrimonium possunt se mutuo consensu obligare ad castitatem, ergo etiam in iplo contractu.

5. Duo voto castitatis obstricti valide ineunt matrimonium, etsi neuter petere possit debitum: ergo etiam apponi posset conditio de non petendo debito: quia hæc obligatio supposito voto de jure inest; cur ergo in contractu apponi non posset? Alioquin B. Virgo cum S. Josepho non videtur habuisse matrimonium, quod est contra Evangelium.

℞. Ad 1. Per adulterium unius conjugis non amittitur jus in copulam, sed solum suspenditur in pœnam, usque dum alter illam remittat.

Ad 2. N. C. cum illa intentione consistit voluntas se obligandi ad reddendum debitum, sicut in Clerico potest esse voluntas vovendi castitatem, & tamen non servandi; at si in ipso contractu addatur conditio *Servandi castitatem*, vis tibi reservare jus ad non reddendum debitum, & tamen vi ejusdem contractus das alteri jus ad exigendi.

Ad 3. N. C. quia matrimonium essentialiter consistit non in actuali usu, sed in dominio utili, seu jure ad usum; sicut ergo non potest tradi dominium utile agri cum obligatione nunquam illo utendi, ut per se patet, sic nec tradi dominium corporum in ordine ad usum conjugalem cum obligatione justitiæ nunquam utendi.

Ad 4. N. C. quia conditio superveniens non vitiat contractum semel validum, etsi ab initio eum invalidasset, sicut si post contractum emptionis initum, venditor emptori remittat pretium, subsistit contractus, & qui emit, dicitur illam rem titulo emptionis possidere, *l. pretii 9. eod. de rescind. vend.* Si verò in ipso contractu fuisset apposta conditio, ut emptori redderetur pretium, non fuisset venditio, quæ essentialiter importat obligationem ad tradendum pretium ex unâ, & mercem ex altera parte.

Ad 5. ℞. Sicut qui gratis promisit equum pauperi, validè, etsi illicitè eum vendit & tradit alteri, quamvis in ipso contractu non possit apponere

nere

nere conditionem non tradendi, quia consensus in obligationem tradendi est de substantiâ venditionis; sic corpora Deo per castitatem promissa validè quidem traduntur in matrimonio, sed non potest apponi conditio non tradendi ad usum, quia consensus in obligationem tradendi est de essentia matrimonii, ideòque B. Virgo & S. Joseph habuerunt verum matrimonium, quia in contractu non apposuerunt conditionem servandi castitatem sed simpliciter consenserunt in jus petendi & reddendi debitum, quod quia per revelationem sciverunt ab alterutro nunquam petendum, licitè matrimonium contraxerunt.

20. Resolves 2. Valere matrimonium sub conditione, ut liceat intrà bimestre matrimonio necdum consummato religionem ingredi, quia hæc conditio inest de jure. At quid de conditione hac: *Si intrà tres annos nobis non nascatur proles, ambo obligabimur ad religionem?* R. Non quamvis conjugibus consummato etiam matrimonio mutuo consensu religionem ingredi liceat, si tamen ista conditio apponatur in ipso contractu, vitiat substantiam, & tollit perfectam corporum traditionem ad perpetuum usum. Idem est, si contrahatur cum conditione certis diebus, v. g. omni feriâ sextâ abstinendi à copulâ, non petendi debitum, quia de ratione matrimonii est totalis corporum traditio, ex qua in utroque contrahente dimanet æquale jus petendi, & exigendi debitum, *Henriq. Sauch. d. 10. Schmaltzg. à num. 123.* Perinde autem est, si ejusmodi conditiones verbis exprimantur, siue in mente reserventur cum expressa voluntate aliter se non obligandi quàm sub tali conditione, tollitur enim utrobique consensus in substantiam.

Resolves 3. Non valere matrimonium hære- 21.
 tiorum, Calvinistarum, Lutheranorum, qui
 contrahunt sub expressa iisque prælectâ vel in
 mente reservatâ conditione: *Ut si sponsa adulte-*
retur sine licentia compartis, vel ad Catholicam
religionem convertatur, hoc ipso alteri liceat ma-
trimonium dissolvere, & aliam ducere, Fagn. l.
cit. Suar. Lug. Pont. Sanch. d. 12. d. 14. s. 7.
Wiest. tit. 19. n. 17. Dicast. d. 2. dub. 4. Ratio
 est, quia talis conditio apertè repugnat substan-
 tiæ seu indissolubilitati matrimonii, & tollit con-
 sensum substantialem, valoremque matrimonii,
c. fin. de cond. appof. Ideòque sive secuto sive non
 secuto adulterio; uterque (etiam postquam ad
 fidem Catholicam sunt reversi) liberè & licitè ad
 alias nuptias transire poterit; quòd si talis condi-
 tio non sit expressè appolita, vel in mente retenta,
 sed contrahentes ex doctrinâ suæ sectæ solùm cre-
 dant matrimonium ex causâ adulterii esse dissolu-
 bile, an tunc matrimonium contrahatur validè:
 Majorem habet difficultatem. Negant plures, quia
 quilibet præsumitur velle contrahere juxta doctri-
 nam suæ sectæ, & non aliter, modò illius sit
 gnarus: sed secta Lutherana & Calvinistica do-
 cent, matrimonia ex causa fornicationis esse disso-
 lubilia: ergo non aliter intendunt contrahere,
 quàm sub conditione solubilitatis: atqui matri-
 monium sub tali conditione est invalidum, ut jam
 dictum est: ergo. *ꝛ.* Tales contrahentes habere
 duas intentiones contrarias: unam generalem,
quâ volunt contrahere in verâ Christi Ecclesiâ. Al-
 teram particularem, *quâ volunt contrahere dissolu-*
biliter in casibus à suâ sectâ permissis. Si prævaleat
 prima, valet matrimonium; tunc autem prævalet,
 si ambo contrahentes ita fuerint constituti, ut si
 sci-

scivissent, Christum instituisse matrimonium indissolubile, adhuc voluissent contrahere matrimonium secus, si unus illorum ita non fuerit constitutus, sed potius maluisset à matrimonio omnino abstinere, quàm matrimonium ex causa adulterii non dissolvere. vide *Cas. 88. n. 16.* Si autem de hoc non cogitaverint, aut dubium sit, an sic vel aliter constituti fuerint, an conditionem repudiandi in casu adulterii contractui apposuerint, vel in mente reservaverint? standum est pro valore matrimonii jam contracti, quod est in possessione: est regula ab omnibus recepta *ex c. fin. de sent. & re jud. Menoch. Gail. cum Schmalzg. c. 10. num. 71.* Unde hæreticus ad fidem Catholicam conversus etiam facto per Consistorium A catholicum ob fornicationem divortio non permittitur transire ad secundas nuptias, nisi probet priorem conjugem esse mortuam, vel se in priori contractu insolubilitatem per appositam conditionem exclusisse, atque ita habet praxis curiarum Ecclesiasticarum.

22. QUÆR. IV. Quid circa matrimonium contrahendum per absentes?

R. Seqq. 1. Matrimonium inter absentes contrahi potest per procuratorem, per nuntium, per litteras, quibus uterque contrahens coram Parocho & testibus consensum suum explicent. Communis. Ratio est, quòd alii contractus sic fieri possint, ita ut qui facit per alium, perinde est ac si faciat per seipsum *reg. jur. 72. in 6.* Sed matrimonium habet rationem contractus: ergo.

2. Procurator debet habere speciale mandatum contrahendi cum certa persona, & alium substituere non potest, nisi hoc sit ei specialiter commissum, *c. fin. de procur. in 6.*

3. Si

3. Si mandatum ante executionem revocetur ^{23.}
 à principali etiam merè internè & ignorante pro-
 curatore, non valet matrimonium, *d. c. fin.* Et
 ratio est, quia deest consensus in traditionem cor-
 porum, quem nec jus, nec Ecclesia supplere po-
 test, etsi sæpè suppleat in aliis contractibus circa
 res merè temporales, quarum dominium altum
 est apud Principem, vel Rempubicam, corpo-
 rum verò dominium non habent; si principalis
 dissentiat semel, & postea iterum consentiat, an-
 tequam procurator mandatum expleverit, valet
 matrimonium, quia verè adest consensus; idem
 dicit *Sanch.* si principalis ab initio, quando mitte-
 bat procuratorem, fidè consentit, sed ex post,
 quando fit mandati executio, consentiat seridè; at
 rectiùs *Sporer, La Croix n. 262.* dicunt, non va-
 lere; quia cùm constitutio procuratoris initio
 fuerit nulla, & ipse ex vi illius agat, agit ex nullà
 potestate, neque est verus procurator; ergo ejus
 actus est nullus. Si principalis tempore, quo pro-
 curator mandatum exequitur, factus est perpe-
 tuò amens, plures dicunt non valere matrimo-
 nium; quia sicut mandatum exspirat morte
 mandantis, ita & videtur exspirare, si fiat furio-
 sus, vel amens, *l. qui seruum 47. l. si quis 48. ff.*
de acquir. hered. Econtra *Sanch. Anag. de Sacr.*
d. 10. n. 34. dicunt, valere, sicut valet Baptis-
 mus & absolutio lapsi in amentiam, quia in his
 sufficit intentio habitualis, nec est paritas de mor-
 tuo & amente. cùm amens maneat aptus genera-
 tioni, qui est finis matrimonii.

4. Non requiritur, ut mandatum fiat coram ²⁴
 Parocho & testibus, sed sufficit, quòd procu-
 rator coram Parocho & testibus exprimat consen-
 sum sui principalis per hæc vel similia verba: *Titius*
acci-

accipit Cajam mediante me in uxorem, Gutt. de matr. c. 43. num. 13. Castropalao puncti. 8. num. 5.

5. Procurator potest esse diversi sexûs, vel impubes, quia hic non requiritur certa ætas aut sexus, sed sola manifestatio consensûs coram Parocho & testibus.

6. Matrimonium per procuratorem contractum est verum Sacramentum, quia ponitur materia, forma, & intentio Sacramenti, & ratio Sacramenti inter fideles probabilius est inseparabilis à contractu, *Bellarmin. Pignat. Sperell. hic decis. 9. n. 23.* Sacramenti tamen Minister non est ipse procurator, sed principales, ideòque in his, & non in procuratore requiritur status gratiæ.

25. QUÆR. V. An, & qualiter matrimonium dissolvi possit?

Ante Resp. suppono, omne matrimonium certò posse dissolvi per specialem dispensationem Dei tanquam absoluti & supremi Domini in omnia; item actu dissolvi per mortem alterius conjugis, ita, ut, si mortuus resurgeret, compar non teneretur vinculo; imò si mutuo consensu iterum vellent esse conjuges, deberent de novo copulari. Præter hos autem casus dantur adhuc tres causæ, per quas aliquando matrimonium dissolvi potest, 1. Per professionem solemnem, 2. Per dispensationem pontificiam, 3. Per novum matrimonium infidelis conversi ad veram fidem. Itaque de his

¶ 1. Matrimonium ratum, non tantùm quòd ad Thorum & habitationem, sed etiam quòd ad vinculum dissolvitur per Professionem solemnem in religione, à S. Sede approbatá; ita, ut

pars in sæculo manens alteri nubere possit. Est de fide ex *Trid. sess. 24. can. 6. Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum, non tolli, anathema sit.* Hinc cuius conjugum post contractum matrimonium conceditur bimestre, in quo non teneantur reddere debitum, sed possint de ingressu in religionem deliberare, & ex publico, de *conv. conjug.* At quid, si quis contrahat cum certo animo non consummandi, sed religionem intrandi, an peccabit mortaliter? *3.* Affirm. Si id fiat absque urgente causa, quia comparti causat magnam confusionem, inutiles expensas, & coget eam expectare, donec profiteatur, & si redeat, debet habere maritum excucullatum, &c.

Dixi 1. Ratum; id est, inter fideles non consummatum, hinc si etiam per 20. & plures annos maneat tale, & alterutra pars solemniter profiteatur, absolutè dissolvitur; interim hoc fit illicitè invitâ comparte, quia ad deliberandum conceditur tantùm bimestre.

Dixi 2. Solemnem, nam communior & probabilior contra *Pont.* docet, non dissolvi per vota simplicia Societatis JESU: nec per alia vota, quæ in aliis certis ordinibus emittuntur absque propriâ solemnitate, quæ ex hoc capite dignoscitur, quòd votum ex parte voventis & Religionis recipientis sit absolutè perpetuum. Dicitur quidem indiscriminatim in *c. ex publico* per professionem religiosam dissolvi, sed tunc temporis omnis professio religiosa erat etiam solennis, quod nunc jure novo non est, ut patet in præfatâ societate, quæ est

E

est

R. D. Janjen Theol. Moral. Tom. IV.

est vera Religio juxta Bullam Greg. XIII. unde & professio in eâ facta est religiosa, non verò solemnis; utpote ex parte Societatis dissolubilis, & Trid. dicit simpliciter per Professionem solemnem dissolvi matrimonium, quod non debet sine sufficiente causa extendi ad non solemnem; hinc si Maritatus admitteretur apud Jesuitas, ne uxori fieret injuria, deberet vel dimitti, vel permitti post Novitiatum edere professionem solemnem, Ex eâdem ratione, si quis vagaretur ex una Religione ad aliam absque eo, quòd in ulla profiteretur, posset compelli à judice vel ad redeundum ad uxorem, ne scilicet hæc privaretur jure transendi ad alias nuptias, vel consummandi matrimonium contractum.

Dixi 3. *In Religione*, nam votum SS. Ordinibus annexum, licet sit solemne, & dirimat matrimonium contrahendum, non tamen dissolvit contractum.

26. R. II. Matrimonium ratum probabilius etiam dissolvi potest quoad vinculum, per dispensationem Papæ; ita contra *Scotum*, *S. Bonav. Covar*, *Sot. Gutter. Pont. Hensx*, *Castropalao*, *Reiffenst.* t. 19. n. 3. & alios tenent *Nav. Peretz. Suar. Dicast. Sanch. l. 2. d. 14. Laym. c. 5. Cardenas crisi d. 19. n. 157. Gobat t. 10. n. 691. Sporer num. 401. Zoef. t. 19. n. 9. Engel. & Schmaltzgr. ibid. n. 45.* ubi refert novem S. Pontifices, qui sic dispensarunt, illos verò omnes in re tam gravi errasse sine temeritate vix dici potest. *Nec dicas*: Esse tantum errorem facti, qui etiam in Pontifice admittitur, nam est de honestate, & valore dispensationis: item de valore & honestate conjugii post ita factam dispensationem cum alio initii, in quibus si erratum est, aperte est error juris

juris; ratio est à priori, quia certum est. Christum suo in terris Vicario potuisse dare potestatem dispensandi in matrimouio rato, sicut dedit potestatem dispensandi in juramento, voto, &c. quæ etiam sunt juris Divini; cùm ergo videamus Ecclesiam hac potestate per plures Pontifices esse usam, omninò tenendum est eam de facto ei à Christo esse communicatam. Confirmatur 1. Papa dispensare potest in vinculo professionis, quod est fortius, & solvit matrimonium ratum, ita ut hìc valeat regula: *Si vinco vincentem te, à fortiori vinco te.* 2. Ita resolvit specialis Congregatio indicta à Clemente VIII. 16. Julii 1599. teste *Pignat. t. 1. consule 148. n. 5.* ut tamen Pontifex validè & licitè dispenselet, requiritur gravis causa; ratio est, quia juxta omnes ferè Theologos insolubilitas matrimonii est ex jure Divino: atqui in hoc non pro libitu, sed solùm exigente justâ causâ dispensandi potestatem Pontifex accepit, ut cum *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12.* tradunt DD. passim; nam potestas hæc non ad destructionem, sed ad ædificationem concessa est; non tamen requiritur consensus conjugum, quia potestas hæc non dependet ab eorum con-vel dissensu, *Sanct. n. 7.* Causa verò justa est notabilis disparitas in statu, periculum inimicitiarum, cædium, lepra, vel impotentia matrimonio superveniens, si viteligatur in Episcopum, vel sponsa præsertim regia, sine spe liberationis ab hostibus sit intercepta, &c. non tamen sufficit solus mutuus Conjugum consensus. At nunquid posita dispensatione Pontificis, poterit licitè ad alias nuptias transiri? Ratio dubitandi est, quia agitur de

valore Sacramenti, & incertum est, an dispensatio prius matrimonium dissolvat, & consequenter an 2dum sit validum. Respondet *La Croix n. 415*. Affirmativè, quia præsumptio est pro Superiore, & contrahentes primùm se obligant tantùm, quantum possunt, scilicet quòd nolint resiliire solo mutuo consensu, non autem cedunt juri suo ad dissolutionem, quæ fieri potest ab extrinseco per dispensationem, nam talis voluntas esset contra praxin Ecclesiæ dispensantis in ejus vinculo, casu quo ergo 2dum matrimonium est initum, primum tantùm est speculativè validum. Ita ille *l. cit.* meum judicium suspendo tum ob probabilitatem sententiæ oppositæ, tum quia agitur de valore Sacramenti.

27. R. 2. Matrimonium fidelium consummatum est omninò indissolubile quòd ad vinculum, adeò, ut nec propter adulterium, ut volunt hæretici, nec ob ullam aliam causam vivente conjuge aliud matrimonium initi possit, excipe rarissimum casum, quo sexus unius è conjugibus mutaretur, quia constat non esse matrimonium, nisi inter marem & fœminam. Est de fide ex *Trid. sess. 24. can. 7. & Matth. 19. Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Ratio est, quia per consummationem conjuges fiunt una caro, & perfectè significatur illa indissolubilis unio Christi cum Ecclesia.

Dices : *Matth. 19. v. 9. ait Christus: Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; ergo à contratio qui dimiserit ob fornicationem, non mœchatur, quia exceptio firmat regulam. R. Intelligitur ibi dimissio quòd ad Thorum & habitationem, & quidem perpetua, quæ non est licita nisi ob fornicationem seu adulterium; & bene

bene notandum, quòd præfatus textus continet duas sententias ; 1. Quicumque dimiserit nisi ob fornicationem. 2. Quicumque aliam duxerit. Itaque sensus est : quicumque in perpetuum extra casum fornicationis dimiserit uxorem quòdam Thorum, mœchatur (scilicet mœchia aliena, quia dat uxori occasionem mœchandi juxta illud Matth. 5. v. 32. *Quicumque dimiserit uxorem suam exceptâ fornicationis causâ. facit eam mœchari*) & quicumque aliam duxerit (subintellige ex quacunque causa) mœchatur mœchia scilicet propria & aliena, quia & cum non sua conjungitur, & simul dat propriæ uxori causam mœchandi. Hæc est quòdam communis Responsio Catholicorum, & confirmatur 1. Quia Marcus c. 10. & Luc. c. 16. sine ullâ prorsus exceptione dicunt talem mœchari; unde Aug. L. 1. de adult. c. 9. sic habet : *Qui sumus nos, ut dicamus : est, qui mœchatur uxore dimissâ aliam ducens, & est, qui hoc faciens non mœchatur, cum Evangelium dicat omnem mœchari.* 2dò quia alioquin lata porta aperiretur adulteriis, cum conjuges cæteròquin malè cohabitantes liberrimè adulterarentur, ut hoc titulo possent separari, & aliis prohibitu nubere. 3. Quia sic semper intellexit, docuit, & docet S. Mater Ecclesia, uti constat ex Conc. flor. & Trid. can. 7. ubi innuitur absoluta indissolubilitas matrimonii consummati; ut autem effectum indissolubilitatis, affinitatis, vel alios inducat, debet esse perfectè consummatum, id est, per copulam aptam ad generationem, ita ut non sufficiat penetratio vasis muliebri, nisi intrâ vas sequatur seminis effusio, vel saltem semen circa matricem effusum ab ea

atrahatur, ut volunt *Lopez. Bodevvin. p. 2. c. 19. Avers. q. 17. f. 1.* Nec sufficit copula ante matrimonium facta & ratihabita, quia tunc matrimonium nondum erat: ergo nec poterat consummari. Sed quid de copulâ primo bimestri, vi, in somno, vel ebrietate extorta? *R.* Per illam verè consummari matrimonium, & induci effectum indissolubilitatis, & affinitatis ad quartum gradum, cum ex fornicariâ copula solum extendatur ad secundum gradum. Ratio est, quia sunt veri conjuges, & per illam copulam fiunt una caro, non minùs, quàm si utrique fuisset voluntaria, *Barb. Sporer n. 72. n. 4.* Atamen sic oppressa potest adhuc religionem ingredi, *Palud Laym. La Croix n. 421.* quia ipsa ob alterius ctimen non debet privari jure suo; si unus conjux affirmet, alter neget matrimonium esse consummatum, magis credendum est affirmanti, quàm neganti, quia standum est pro matrimonio, *Sanch. l. 7. d. 109. Gub. n. 403.*

28. *R.* 3. Matrimonium infidelium, etiam consummatum dissolvitur in Lege Evangelicâ quodam vinculum, si unus convertatur ad fidem, & ducat fidelem, eo quòd altera pars nolit converti, nec cohabitare sine scandalo aut injuria Creatoris. Ita Catholici omnes ex *c. quanto* de divortio. *Et c. gaudemus.* Colligi urque ex Apostolo 1. ad Cor. 7. *Quòd si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater & soror in hujusmodi: id est, quòd jugum prioris matrimonii, idque ex dispensatione Dei, in favorem Religionis Christianæ, per Apostolum & traditionem nobis insinuatâ, unde*

Deduces seqq. 1. Præfatum matrimonium dissolvi in tribus casibus, 1. Si remanens infidelis

lis ideo præcisè nolit cohabitare converso, quia conversus est; hinc si ex alia causa discedere, v. g. quia conversus ante vel post conversionem commisisset adulterium, non esset dissolubile vinculum.

2. Si infidelis velit quidem cohabitare, sed non sine injuria Creatoris ipsum blasphemando, Christi fidem spernendo, verum Dei cultum impediendo &c. 3. Si ex ejus contubernio imminet periculum perversionis, quia vel tentat conversum iterum pervertere, vel ad mortale peccatum inducere. In his casibus potest conversus aliud matrimonium inire, etiam non expectatâ sententiâ Judicis, non extra hos. Colligitur ex 1. ad Cor. 7. *Si quis frater uxorem habeat infidelem, & hac consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* &c.

2. Non per conversionem vel baptismum, sed per 2dum matrimonium à converso actu initum solvitur primum, ideóque & tunc probabilius contra quosdam apud *La Croix* potest infidelis aliud inire, quod non potest, quàm diu conversus non inivit aliud. Si uterque convertatur & baptizetur matrimonium consummatum fit omnino indissolubile sicut aliorum fidelium *Engelst.* 16. §. 2. *Castropalao d. 3 p. 2.* quod etiam verum est, si alteruter postmodum fidem deserat, fiatq; (improprie loquendo) infidelis.

3. Ut constet de infidelis obstinatione, moneri debet, ubi fieri potest, & interrogari, an converti velit, vel pacificè cohabitare. Si sit in loco ita remoto ut non possit resciri ejus voluntas, vel intrâ tempus præfixum non respondeat, putant aliqui conversum validè contrahere cum alia. Ast in his & similibus casibus dubiis pro praxi recurratur ad judicem.

29. QUÆR. VI. Quid observandum judici in controversia super validitate Matrimonii?

R. Meritò hic statuit Benedict. P. P. XIV. in constitut. publicâ 29na. Novembr. Anno 1741. :
 Ut si quæstio super valore Matrimonii ex quâcunque causâ ad judicem Ecclesiasticum (sive is sit loci Episcopus, sive à Papâ delegatus) deferatur, judices non sint proclives & faciles ad dissolvenda Matrimonia, sed pro congruâ litis decisione, eligant personam idoneam, & si fieri potest, ex coetu Ecclesiastico, juris scientiâ pariter & vitæ probitate præditam, quæ Matrimonii defensor nominabitur, cujus officium sit in judicium venire, quotiescunque contigerit causas matrimoniales super validitate vel nullitate, „ nam legitimo
 „ judice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu judiciali citari, adesse examine testium
 „ voce & scriptis, Matrimonii validitatem tueri;
 „ quâcunque verò eo non legitimè citato aut invitato, in judicio peracta fuerint, nulla inita
 „ & cassâ declarantur. Si à judice, (sive in prima sive in secunda instantia) pro Matrimonii
 „ validitate judicetur, & nullus sit qui appellet, defensor etiam ab appellatione abstinebit, sin autè
 „ contra matrimonii validitatem sententia feratur,
 „ & nemo sit in judicio qui pro validitate negotio
 „ insistat, ipse ex officio ad superiorem judicem
 „ provocabit. . . instructio autem in hunc modum
 „ judicio, si secunda sententia alteri confortata
 „ fuerit, hoc est si in secunda æque ac prima nullum ac irritum matrimonium judicatum fuerit,
 „ & ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem
 „ interpositam prosequendam, minimè censuerint in potestate & arbitrio conjugum sit, novas nuptias contrahere.

QUÆR

QUÆR. VII. Quid circa divortium, seu circa 30.
separationem quoad thorum & habitationem?

R. 1. Hæc separatio fieri potest ex duplici capite: Pietatis scilicet, & delicti. Ex causa pietatis se licitè separant conjuges, si ambo in mutuo consensu, vel unus de licentia alterius religionem profiteatur, vel S. Ordines suscipiat, quo casu altera pars si juvenis sit, religionem ingredi, vel si sit annosa, continentiam vivere tenetur; ad hoc tamen cogi non poterit, cum votum debeat esse liberum, *Castropalao; Tambur. tr. 7. c. 4. §. 2.* Imò si in periculo incontinentiæ versetur, debet Episcopus conjugem professum, vel ordinatum (non obstante quòd professio, vel ordinatio sit valida) reddere uxori periclitanti ad reddendum debitum tantum; nam petere non poterit ob votum castitatis & mortuâ vel extra periculum constitutâ uxore, ad Monasterium, vel functiones Ordinis redire tenetur, uti ex jure probant *Pont. Sanchez. l. 5. t. 10. Laym. c. 7.* At nunquid uxor liberè consentiens in ordinationem mariti eo mortuo potest saltem validè nubere? R. Negativè, quia Ecclesia eam hoc ipso, quòd liberè consentiat in ordinationem mariti, reddit inhabilem ad matrimonium, *c. feriatim 14. dist. 34. quia sunt dist. 28. & Gloss. ibid. Azor. Sanchez. Konig. tit. 6. num. 16. Wiest. ibid. num. 19.* Quod locum non habet, si uxor in sæculo manens consentit in professionem mariti, *Gutt. Castropalao, Avers. q. 15. s. 3. Kon. l. cit. Schmaltzg. t. 6. num. 62.* Ratio est, quia odiosa non debent extendi ad casum in jure non expressum, & mulier consentiens in professionem mariti, non voluit se reddere inhabilem ad matrimonium post mortem mariti, nisi & ipsa religionem professa sit. Conjux sine alterius consensu

professus vel ordinatus peccavit mortaliter contra jus alterius, & professio est nulla, cum non habeat potestatem sui corporis, *c. quidam c. accedens, de conv. conj.* Ordinatus fit irregularis, & in suscepto Ordine nec ministrare, nec ad altiores Ordines promoveri, aut beneficium Ecclesiasticum obtinere potest, sed revocatus tenetur redire, & debitum reddere, *extrav. antiq. de voto.* At nunquid invitâ conjugem nulliter professus, & ab uxore revocatus eâ mortuâ tenebitur ad Monasterium redire? Non teneri; non poterit tamen novam ducere, *d. c. quidam*, quia præsumptio est, quòd vovens voluerit se eo modo obligare quo potuit: atqui potuit se obligare ad servandam castitatem mortuâ uxore, hæc tamen præsumptio in foro conscientie debet cedere veritati, (si reverà ut assolet) non fuit animus vovendi castitatem, nisi dependenter à religione, *Pont. l. 9. c. 11. Laym. num. 4.* quod dictum est de mutuo consensu ex causa pietatis, etiam tenet de mutuo consensu ex causa quacunque indifferente v. g. ne multiplicentur proles ultra suas facultates, idque in perpetuum, nisi periculum incontinentie alterutri conjugum immineret. Addit *Reiffenst.* etiam invitâ comparte divortium fieri posse ob votum ultra maritimum, id est, ad liberandam terram sanctam, quod vir etiam invitâ uxore emittere & implere potest, prout ob tantam populi Christiani necessitatem atque subsidium terræ sanctæ, decisum habetur *c. ex multa & c. tanta de voto*: unde in tali casu datur divortium ad tempus, donec scilicet vir redeat,

31. *Bl. 2.* Quinque præcipuè sunt delicta vel defectus, ob quæ innocens altero etiam invito di-

vortium facere potest, ut 1. Adulterium, c.
 4. 5. 8. de divort. 2. Hæresis, multò ma-
 gis apostasia à fide, idololatria, c. 6. § 7. eod.
 3. Sollicitatio ad grave peccatum, v. g. latrocinii,
 veneficii, præposteri concubitùs, &c. S. Thom.
 in 4. dist. 39. q. un. à num. 6. 4. Periculum infe-
 ctionis ex leprâ vel alio morbo contagioso. 5.
 Invidia unius, frequentes rixæ, odia, jurgia,
 est communis Doctorum Catholicorum contra
 hæreticos nullam præter adulterium, causam
 divortii admittentes. Sed damnantur, à Trid.
 sess. 24. can. 8. & ratio est, quia nemo cum
 tanto incommodo tenetur alteri cohabitare.
 Nec obstat, quòd Christus Matt. 19. solam
 fornicationem assignaverit; id enim inde acci-
 dit, quia propter hanc solam licitum est di-
 vortium strictè tale, seu perpetuum invitâ alterâ
 parte, causæ verò aliæ ex sua natura non sunt per-
 petuæ, vel saltem requirunt mutuum utriusque
 consensum. Ex his.

Deduces seqq. 1. Innocens cognitâ divortii 32.
 causâ potest se propriâ auctoritatè separare quòd ad
 Thorum, negando debitum, quòd ad habitatio-
 nem verò utpote publicam, solum per sententi-
 am judicis, si tamen causa esset notoria & publica,
 necesse non esset expectare hanc sententiam, uti
 nec tunc, si sine scâdalo & strepitu occultè recedere
 possit prætexendo militiam, peregrinationem,
 &c. ubi verò scandalum ex privata dissolutione
 Matrimonii quoad Thorum aut habitationem,
 timetur, ut plerumque fit, dissolutio fieri debet
 auctoritate Ecclesiæ, vel maximè, si causa divor-
 tii sit dubia; ideoque qui privatâ auctoritate
 divortium fecerunt, monendi sunt, ut vel recon-

ci ientur invicem, vel discessionis suæ causas coram Ordinario proponat, quod nisi fecerint Pastoris erit eos à communione repellere, & causas ad ordinarium deferre.

2. In divortio temporali emendatum vel ab errore reversum, tenetur pars innocens admittere, unde & tempore istius divortii quacunq[ue] autoritate facti, neutri licitum est statum impossibilem assumere, v. g. religionem ingredi, quia potest cessare causa, consequenter fieri obligatio redeundi: in divortio autem perpetuo, innocens potest quidem, sed non tenetur admittere nocentem etiam emendatum, sed potest religionem ingredi eo invito, *S. Th. Bonav. Schamb. num. 12, Reiffenstul. num. 97, La Croix num. 448.* Et factâ mutatione status per Professionem religiosam vel SS. ordines, etiam nocens religionem ingredi potest, seu statum mutare, non verò ante; idem potest, si innocens ter rogatus & monitus nolit reconciliari, quia nimis durum esset semper suspensum teneri, præsertim emendatum: ob simplex votum castitatis emissum ab innocente, nocens statum mutare non potest, quia adhuc urgeri posset reconciliatio quoad cohabitationem & domestica obsequia, imò posset petitâ dispensatione debitum exigi.

3. Si post plures annos erumpat, sententiam divortii fuisse latam ex causis falsis, professus debet restitui suæ conjugii, quæ innocens suo juri privari non debet, & professio fuit nulla propter errorem in substantia.

4. Non potest procedi ad divortium, si innocens expressè, id est, verbo aut scripto; vel tacitè, hoc est, per tactus, oscula aut copulam post læsionem liberè & animo condonandi, exercita, injuriam remiserit; aut simile delictum admiserit; dico *simile delictum*, nam si unus lapsus sit in adulterium, alter in hæresin, probabile est delicta non compensari: si quis internè tantùm condonavit, adhuc probabiliter potest peti divortium, quia in commercio humano interna volitio non obligat, idem est, si condonationem externè manifestatam nocens noluit acceptare *La Croix num.*

452.

5. Si conjux per 4. aut 5. menses injustè neget debitum comparti, quam scit obinde fore in periculo incontinentiæ, censetur causam dedisse adulterio, ideòque non poterit propterea petere divortium: quod à potiori locum habet, si unus in alterius adulterium expressè, vel saltem tacitè consensit v. g. non prohibendo adulterium compartis, cùm facilè potuisset.

6. Si unus occultè adulteretur ante vel post adulterium alterius, quod probare potest; adhuc licitè petit divortium, quia per adulterium quod probari potest, altera pars amisit jus, quod non amittitur per adulterium occultum. Sed quid, si convinci quidem non possit, interim tibi scelus est certo notum. &c. Sicut tunc non habes jus negandi debitum, ob adulterium quod occultè commisisti, sic nec petendi divortium. Porrò per adulterium hìc intelligitur formale non materiale sine culpâ commissum, veluti si mulier vim passa sit, aut si quis eam fraudulenter sub

sub

sub specie mariti cognoscat; ubi enim non e culpa, non debet esse pœna An metus gravis excuset; est utrimque probabile *La Croix n. 435.*

7. Quæ dicta sunt de adulterio, etiam tenent de Bestialitate, Sodomîâ, & probabilitate de quâvis injuriosâ Seminis effusione; ita ut fore sufficiens causâ divortii pro innocente *Hemo & alii.*

8. Facto divortio ob culpam unius, proles educari debent apud innocentem, expensis nocentis; si divortium factum est mutuo consensu, expensis communibus. Si una pars sit infidelis aut hæretica, proles apud fidelem educari debet, de alimentatione Coniugum - vel sine culpâ separatæ *V. La Croix lib. 7, p. 1. à num. 710.* in quovis casu difficili vel maxime ubi nova mala, aut scandala timentur, Superior Ecclesiasticus consulendus est. De obligatione conjugum ad cohabitandum, proles & familiam gubernandi; dicam *Cas. 112.*

n. 15. & seq.



C A S U S C V I.

De proclamationibus, benedictione, & impedimentis Matrimonii in genere.

Terentius Pastor dubitat : 1. An proclamandi sint milites, vagi, quale peccatum sit proclamationes omittere, & quid de casu necessitati. 2. An debeant mediare dies feriales, vel an possit proclamatio fieri in die feriali, an repeti, si diu differatur matrimonium. 3. An fieri debeant in utraque parochiâ, quid si unus noviter advenerit, an in templis hæreticorum. 4. Ex quibus causis possit aut debeat dispensare Episcopus. 5. Quid si spectens ad diversas dioceses. 6. Qua sit obligatio impedimenta revelandi. 7. Quid si Parocho deferatur impedimentum ab uno vel de eo sit suspicio aut fama: quid si occultum impedimentum repelli non possint sine infamia, & Parochus illud probare non possit. 8. Vel illud intelligat in confessione. 9. Quid si dispensatum sit pro foro conscientie tantum, & ex post pastori deferatur. 10. Quid de benedictione nuptiarum. 11. An infideles conversi aut hæretici benedicti possint. 12. Cujus sit statuere impedimenta. 13. Quot sint prohibentia. 14. Quid de contrahente cum voto castitatis. 15. An teneatur ante consummatum matrimonium inire religionem. 16. Quid si contraxis cum voto religionis. 17. Quid si vo-

vo-

vovit conditionatè. 18. *Qua sint impedimenta dirimentia, an dirimant ignorata, & pro omni casu.*
 19. *An induci vel abrogari possint per consuetudinem.*
 20. *Qualiter peccet, qui contrahit sciens vel dubitans de impedimento.* 21. *Quid si sit ratio gravis, vel præsumptio pro impedimento, non verò contra.*
 22. *Quid si sit ratio probabilis pro & contra existentiam impedimenti.* 23. *Quid si Parochus immediatè ante nuptias advertat impedimentum.*
 24. *Quid si solum unus ex sponsis sciat impedimentum.* 25. *Vel uterque ignoret.* 26. *Aut Parochus dubitet, an monitio sit ob-vel profutura.* 27. 28. *Quid de matrimoniis hæreticorum cum impedimento consanguinitatis, affinitatis, &c. apud ipsos non recepto.* 29. *An eiusmodi matrimonia sint licita.* 30. *An proles inde nate sint legitima.* Pro Resolut.

Q U Æ R. I. Quid circa proclamationes ?

I. R. I. Ex præcepto *Trid. sess. 24. c. 1.* Matrimonio præmitti debent tria banna seu proclamationes tribus diebus Dominicis, vel festis inter Missarum solemnia, à quâ lege non eximuntur milites, vagi, peregrini; antequam tamen proclamentur milites, debent exhibere testimonium Officialium, quòd careant impedimento, vagi & peregrini testimonium sui Ordinarii, quòd sint in statu libero, ut declaravit S. Congregatio Generalis Inquisitionis de Urbe anno 1632. Plura de vagis dicam, *Casu 110.*

2. Pastor ad proclamationes non procedat, nisi priùs de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet, sciâtque certò sive ex propria scientia, sive ex testimonio fide dignorum, sponsum vel sponsam proclamandum vel proclamandam

dam esse de sua parochia : in quâlibet proclamatione debet moneri populus, ut si quis noverit aliquod consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, aut aliud impedimentum, quod matrimonium contrahendum impediât, illud quamprimum denuntiare debeat : Si verò super proclamationibus ex justa causa petenda sit dispensatio, Pastoris erit apud notos & fide dignos diligenter indagare, num inter sponfos subsit aliquod impedimentum vel dubium de illo ; si constet nullum subesse impedimentum, pro remittendis proclamationibus supplicet Episcopo vel Vicario in spiritualibus generali ; denunciations autem factas aut relaxatas notet in libro copulatorum ; ita Agenda Col. edita Anno 1720. pag. 188. ubi pag. 191. etiam exhibet formulare litterarum dimissoriarum, item supplicæ pro remittendis proclamationibus.

3. Denunciations non requiruntur ad valorem, sed tantum ad licentiam ; pastor omittens omnes tres peccat mortaliter, etsi nulla adsit suspicio impedimenti, omittens unam tantum peccat venialiter, Sanchez. Barb. Pyrrhing. tit. 3. nu. 27. Schamb. ibid. num. 23. quia duæ denunciations sufficientes sunt ad finem Tridentini ; imò si probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, ut loquitur Trid. l. c. & non detur recursus ad ordinarium, neque prudenter timeatur aliquod impedimentum, potest Parochus matrimonio assistere, & ante consummationem proclamationes supplere ; quia præceptum Ecclesiæ non obligat cum tanto incommodo ; multò magis poterit Parochus in articulo mortis conjungere

F

con-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. IV.

concubinarium cum concubina ad legitimandam prolem, si dispensatio in bannis expectari non possit, *Sanch. Tann. Boscop. s. d. 11. f. 10 Shmaltz. tit. nu. 42.*

2. 4. *March. Dicast. Gobat.* dicunt, non esse de præcepto, ut proclamationes fiant festis discontinuis, quia *Trid. l. cit.* tantum requirit, ut *fiant tribus festis diebus continuis*, sed ex communi mens Tridentini est, quod non debeant alii dies festivi in populo mediare, etsi mediare debeat saltem unus vel alter dies ferialis, ut populus habeat tempus inquirendi, & deferendi impedimentum, si quod subsit, idque præcipit Synodus Colonien- sis Anno 1662. de matrim. c. 353. ubi etiam prohibet, ne proclamationes fiant in die feriarum, quamvis adsit magnus populi concursus, quod caeteroquin, præsertim si ita habeat consuetudo, non improbant *Anton. à S. Spiritu, Bosco, Pyrre. n. 28. Krimer n. 691.* quia obtinetur finis Tridentini, qui est intimatio futuri matrimonii ad majorem partem populi.

5. Si intra quatuor menses post ultimam proclamationem non contrahatur matrimonium, debent proclamationes repeti, & ita declaratum esse testatur *Gallebart. hic c. 1. num. 3.* Quod Rituale Romanum & Agend. Colon. l. c. dicunt fieri debere, si intra duos menses non contrahatur.

6. Proclamationes fieri debent in Parochia utriusque sponsi, in qua actu habitant; si illis noviter advenerint, vel saltem non habitaverint ad sex menses, debent proclamationes fieri in novâ & veteri Parochia, & à veteri Parocho adferri testimoniales de non reperto impedimento; si muli studiosi, aliique fixum domicilium non ha-

bentes, ex Decreto Archi-Episcopi Colon. Josephi Clementis inserto Agendæ pag. 189. insuper proclamandi sunt in Parochia originis, vel saltem à Parocho loci ferre debent testimonium libertatis statûs, jura copulationis verò solis Parochis loci solvenda sunt. Proclamationes etiam fieri possunt in templis hæreticorum, ut fiunt proclamationes aliorum contractuum, ubi ita habet consuetudo, & absit scandalum, *Less. La Croix hic n. 479.*

7. In bannis dispensare potest Ordinarius, & 4. ejus Vicarius, si adsit justa causa; quales sunt sequentes *1ma.* Probabilis suspicio & timor matrimonii malitiosè, id est, iniquè & contra rationem impediendi, ut si minis, vi, dolo, & calumniis se interponant parentes, qualiter facere præsumuntur, si filia 25^{um} annum excedat, eò quòd tunc censeantur esse in mora, filiam extradendi, aut Noverca velit matrimonium impedire, quia censeatur id facere intuitu retinendæ hæreditatis: bene tamen examinanda sunt contradictionis causa & modus; brevis Regula est: tunc censeatur quis malitiosè impedire, cum impedit, & non habet jus impediendi. Etiam malitiosè impediturus censeatur ille, qui falsum impedimentum objecturus esset. *2da.* Si sponsalia sint legitimè inita, timorque sit rationabilis, ne longiori morâ temerè dissolvantur. Si deflorator virginis velit hanc ducere, & timor sit ne animum mutet. *3tia.* Evitatio infamiæ, quam incurrent v. g. concubinarij pro veris conjugibus habiti, illorumque proles, si proclamationes matrimonio contrahendo præmitterentur: idem est, si publicè contraxerint cum impedimento occulto.

arta. Confusio, cui exponerentur sponsi, si valde dispares ut senex & juvencula, Nobilis & Plebeja, dives & paupercula proclamarentur; quod etiam tenet de duobus senibus, & Ratio est, quod præcepta Ecclesiæ non obligent cum extraordinariâ difficultate. *5ta.* Eminens conditio contrahentium magnatum, cum facillè sciretur impedimentum, si quod inter tales esset, *6ta.* Si concubinarius in articulo mortis concubinam ducere velit ad legitimandam prolem, vel ut ipse in amore honesto decedat. *7ma.* periculum fornicationis inter sponso, si diutius contractus matrimonialis ob tempus v. g. clausum differendus esset; quia evitatur gravissimum incommodum animæ, imò si quodcunque grave incommodum etiam temporale adsit, potest dispensari. Agenda Colonien pag. 193. & Doctores communiter à quibus additur causa. *8va.* Si in festo tempus sacratum Adventûs vel Quadragesimæ.

4. 8. Episcopus non tenetur dispensare ex quavis causa, sed quando id exigit necessitas ad evitandum grave malum animæ, corporis, famæ, vel fortunarum proximi, si tunc renuat, & major Prælatus adiri non possit, contrahi potest abique denuntiationibus, quia leges humanæ non ligant cum tanto incommodo, Sanchez. *Guill. Laym. c. 4. Reiffenst. t. 3. num. 39. Krimer nu. 619.* idem à potiori tenet, si moræ periculum Episcopum adire non patiat, ut si concubinarius ad legitimandas proles vel pro securitate conscientiæ, cum concubina in articulo mortis copulari velit.

5. 9. Si sponsi spectent ad diversas dioceses, in utràque sunt proclamandi; si alteruter Ordinarius

rius dispenset in proclamationibus, sufficit, ut si-
ne eis possint contrahere in alia Diocesi,
in qua dispensatum non est, quia verum est,
dispensasse Ordinarium, *Barb. Avers. La Croix*
num. 489.

10. Non tantum ipsimet sponsi, si sciant, 6.
se esse in impedimento sive impediante, sive
dirimente, tenentur illud manifestare, sed &
omnes notitiam habentes, si id revelare pos-
sint sine suo gravi, vel innocentis incommo-
do, quod tenet, etiamsi impedimentum foret
occultum, nec possent illud probare, aut scirent
sub secreto naturali, vel jurato, quia tale se-
cretum, & juramentum, utpote contra bonum
commune, & reverentiam Sacramenti, non
obligant, *Gutt. Burgh. cent. 2. cas. 108. Reiffenst.*
num. 49. Si tamen impedimentum sit occul-
tum, & infame, debet primò occultè moneri
impeditus, ut à matrimonio desistat; vel dispen-
sationem petat, ne ejus fama sine causa læda-
tur; aut si ejusmodi monitio credatur non profu-
tura, vel non possit fieri sine periculo inimicitia-
rum, immediatè denuntietur Parocho, & ab hoc,
si opus est, Episcopo, vel ejus Vicario.

11. Si Parocho deferatur impedimentum etiam 7.
solum impediens, velut sponsalia, debet causam
referre ad Ordinarium, quia Parochus nullam
habet jurisdictionem in foro externo, ideò-
que nec examen testium instituere, nec eorum
juramentum recipere potest: hæc enim sunt actus
jurisdictionis externæ. Sufficit verò hîc unus te-
stis fide dignus, et si non juratus, quia agitur de
vitando peccato, & matrimonio nulliter contra-
hendo, vel maxime, si concurrat aliqualis sus-
picio, vel mullitatio in populo de impedimento

inter contracturos; nam si sit rumor vulgi absque incerto authore, communiter nihil subest; si autem sit communis fama solida, constans, & uniformis, de hac informandus est Episcopus; si sit levis, vaga, sibi contraria, nihil probat, DD. cit. *Sperel. decis. 173*. At quid, si impedimentum sit Parocho satis certum, at occultum, an poterit matrimonio assistere, si sponsi publicè petant, sicut potest & debet peccatori occulto publicè petenti dare Eucharistiam? R. Non posse, *Gobat. t. 9. num. 553. Schmalzgr. num. 63*. Ratio est, quia in causa impedimenti Parochus non est iudex, sed Episcopus, ad quem causam referre debet; e contra Parochus est Minister ordinarius Eucharistiæ, & ex matrimonio invalidè contracto sequuntur fornicationes aliæque incommoda, quæ non sequuntur ex indigna susceptione Eucharistiæ, præstabit igitur tunc (si matrimonium sine gravi incommodo differri nequeat, & impedimentum sit dispensabile) disponere sponso, ut contrahant solùm sub conditione impetrandæ dispensationis. Vid. hîc infra num. 13. Si Parochus impedimentum probare non possit, ideòque ab Episcopo jubeatur sponso impedito copulare, non peccat, si id faciat quia tantùm ex justa causa permittit, ut illicitè & invalidè contrahant.

8. 12. Si Parochus impedimentum intelligat in Confessione, debet pœnitentem monere, ut à contractu desistat, attamen sub eâ cautelâ, quam dabo Cas. CXI. num 4. & 19. si sit in mala fide & salutaria consilia sequi renuat, debet ei negare absolutionem si nihilominùs contrahere velit, debet assistere, aliàs frangit sigillum, & confessionem reddit odiosam: Si oblitus est monere

in Confessione, non tenetur exposcere licentiam monendi, saltem si pœnitens ægrè feret & confessio fieret obinde odiosa, V. dicenda *Cas. CXI. q. 5. totâ.*

13. Si impedimentum sit dispensatum pro foro conscientia tantum, & nemo præter sponso illud denuntiet, potest procedi ad copulationem, quia impedimentum sublatum est, & res nondum egressa est forum internum. Si autem alius impedimentum denuntiet, jam causa est delata ad forum externum, ideòque dispensatio cum clausula: *Pro foro conscientia tantum*, ampliùs locum non habet, *Nav. Vega Schmalzg. n. 66.* Si tamen denuntiator impedimentum deserat secretò, paratus tacere, putat *Avers. q. 7. s. 5.* posse procedi ad copulationem, quia causa necdum videtur deducta ad forum externum.

QUÆR. II. Quid circa benedictionem nuptiarum ?

R. Seqq. 1. Hæc benedictio debet fieri à parocho proprio sponsi vel sponsæ; eam omittere sine causa solùm est veniale, *Sot. Peretz. Pyrrh. t. 21. n. 11.* quia non satis constat de obligatione gravi; imò si unus ex sponso jam fuerit benedictus, benedictio absque omni culpâ omitti potest, & de jure debet, *c. si vir autem, de secund. nupt.* Dico: *de jure*, nam consuetudo passim permittit benedicere secundas nuptias, si alteruter antea non sit benedictus, *Sanch. l. 7. d. 82. nu. 23.* Optimè faciet, qui se Agendæ vel Rituali suæ Diocesis accommodat.

2, Si in prioribus nuptiis uterque sponsus fuerit benedictus, prohibetur iterata benedictio, *d. c. vir autem*, idque verum est, etiamsi primum matrimonium fuerit invalidum, *Palud. Sylv. Sanch.*

n. 26. quia benedictio non propriè nuptiis, sed personæ impenditur & cohæret: ideoque mulierem, quæ semel benedicta est, secundò benedici vetat Agenda Colon. pag. 194. ubi addit, sponfos non in privatis ædibus, sed publicè in templo solemnè ritu conjungi & benedici debere: & qui in privatis domiciliis conjungi petunt, iis illud gaudium opponendum esse: 1. Cor. 11. num. *Ecclesiam DEI contemnitis?* insimul præcipit, ut nuptiarum celebrationi secundùm receptam Ecclesiæ consuetudinem semper Missæ sacrificium præmittatur, sive primæ illæ sint, sive secundæ.

11. 3. Si duo infideles convertantur, possunt benedici, quia nunquam fuerunt benedicti, si unus ex sponfis sit Catholicus, nuptiæ adhuc benedici possunt in gratiam personæ Catholicæ, quæ illo jure privari non debet. *Dices:* Hæreticus est excommunicatus, ergo cum eo non licet communicare in sacris ritibus. *R.* Plerique hæretici in Germania non incurrunt excommunicationem, tum quia plures sunt tantùm hæretici materiales, tum quia plerique non sciunt excommunicationem suæ hæresi annexam esse; & dato, quòd hæreticus contrahens sit excommunicatus, quia tamen in Germania sunt tolerati, cum iisdem, si petant, post Concilium Constantiense in sacris communicare licet; si uterque sponfus sit A Catholicus, potest quidem Parochus Catholicus (in cuius Parochia habitant) eorum matrimonio assistere, ut dicam *Casu 110. n. 20.* illicitum tamen est illis nuptiis benedicere; nam indigni sunt benedictione Ecclesiasticâ, qui Ecclesiæ ceremonias damnant, *Tann. Gobat.*

QUÆR.

QUÆR. III. Quid circa impedimenta matrimonii impedientia?

R. 1. Ecclesiam habere potestatem instituendi impedimenta matrimonii impedientia, & dirimentia, est de fide contra hæreticos, ex *Trid. sess. 24. Can. 3. & 4.* ubi sic habet: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse instituere impedimenta matrimonii dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Ratio est clara, quia & personæ fidelium, & ipse contractus utpote spiritualis & Sacramentis est subiectus Ecclesiæ; & quàmvis Magistratus & Principes sæculares possint ex justa causa statuere eiusmodi impedimenta pro infidelibus sibi subditis, *S. Thom. in 4. dist. 39. q. un.* id tamen non possunt pro fidelibus subditis; ratio est, quia matrimonium infidelium est contractus merè civilis, circa quos contractus disponere possunt Principes sæculares; matrimonium verò fidelium est simul Sacramentum, de quo iudicare competit soli Ecclesiæ, adeò, ut nec ipsi Episcopi impedimenta matrimonii inter fideles statuere possint, Papâ sibi hanc potestatem reservante, *Conu. Peretz d. 21. s. 5. n. 7. Pyrrh. 25. 4. tit. 1. à n. 149. Konig. ibid. num. 16.*

2. Impedimenta alia sunt prohibentia, quæ matrimonium reddunt illicitum, alia dirimentia, quæ matrimonium reddunt nullum; primi generis antè hac non pauca fuerunt, sed nunc præter statum disgratiæ, & excommunicationem, solùm sunt quatuor, complexa hoc versu:

Tempus sacratum, vetitum, sponsalia, votum.

Per *Tempus sacratum* intelligitur illud, quod currit à media nocte primæ Dominicæ Adventûs usque ad Epiphaniam inclusivè, & à Die Cinerum usque ad Dom. in Albis inclusivè, quo tempore non ipsum

matrimonium, (nisi consuetudo, vel statum
Diœcesis aliud habeat) sed solæ solemnitates matri-
moniales prohibentur, scilicet benedictio spon-
sorum, deductio solemnis sponsæ ad domum
sponsi, solemne convivium, tripudia, &c. *Sanch.*
Gob. Pign. t. 6. cons. 47. Agenda Colon, pag. 198.
præcipit à nuptiis etiam minùs solemnibus istis tem-
poribus abstinere, nisi fortè urgens causa per supe-
riores probanda, moram non pariat. *Vetitum* leu
interdictum est, quo Ecclesia uni vel pluribus pro-
hibet nubere. *Sponsalia* seu promissio matrimoni
alteri validè facta, faciunt matrimonium illicitum
cum quocunque alio, nisi prior consentiat, aut sit
iusta causa solvendi sponsalia, de quâ dixi *Cas. 104.*
9. 3. Denique matrimonium illicitum reddit *Vo-*
rum castitatis, virginitatis, religionis, suscipiendi S.
Ordines, nunquam nubendi, &c.

14. 3. Qui cum voto castitatis absque dispensatione
contrahit matrimonium, non tantùm peccat mor-
taliter contrahendo, sed etiam ex post toties, quoti-
es petit debitum, quia quantum est ex se, debet
servare votum; econtrà debitum reddere potest &
debet compari, quæ habet jus petendi; posse au-
tem Regulares Mendicantes, & cum iis partici-
pantes dispensare in obligatione non petendi de-
bitum, dixi *Cas. 171. n. 5.*

15. 4. Plures dicunt, eum, qui castitatem, vel S.
Ordines vovit, obligari ante matrimonium consu-
matum intrare religionem, quia sic potest servare
votum sine præjudicio sponsæ; at rectiùs id negant
Dian. Sanch. Schmalz. t. 6. n. 109. Ratio est, quia
talis non vovit religionem, sed solùm S. Ordines v.
castitatem, quam servare non tenetur per medium
tam difficile; sicut debitor ex promissione, præter-
tium gratuita, non tenetur solvere cum damno val-

de inæquali, & vovens eleëmofynam non tenetur
eam solvere cum mutatione suû statûs.

5. Qui vovit religionem, & ex post voti memor
vel immemor matrimonium iniit, tenetur matri- 16.
monium non consummare, & inire religionem,
nisi fortè sponsam antecederet defloraverit; ratio
est, quia adhuc potest exsolvere rem promissam sine
injuria sponsæ: ergo ad hoc tenetur; postquam ta-
men matrimonium contummavit, licitè petit, &
reddit debitum, quia non novit castitatem, sed al-
sumere statum, cui castitas annexa est; soluto tamen
matrimonio tenetur ingredi religionem, quia cessat
impedimentum voti, à quo non erat absolutus, sed
impeditus, *S. Th. Sot. Nav. Sanch. d. 33. n. 16.*

6. Ut vota valeant, & impediunt matrimonium, 17.
debent esse libera ab errore circa substantiam, vel
motivum principale, & probabiliter à metu injusto
saltem gravi, *Rosell. Sanch. Nav. Less. l. 2. de just.*
c. 4. V. Cas. 68. à n. 1.

7. Si conditionatè vovisti castitatem, vel reli-
gionem, & conditio non pendeat à tua voluntate,
sed à Deo, v. g. vovisti castitatem, si mater intrà
annum convalescat, teneris expectare conditio-
nis eventum; si verò conditio sit pœnalis, vel pen-
deat à voluntate tua, v. g. vovisti castitatem, si ad-
huc semel te inebries, si intrà annum fornicatus
fueris, non teneris expectare, multò minùs procu-
rare conditionis eventum, utpotè peccaminosum,
sed potes anno nondum expleto matrimonium
contrahere, si tamen intrà annum te inebries, tene-
ris voto castitatis etiam post contractum matrimo-
nium per omnia, ac si contraxisses post votum casti-
tatis absolutum, quia jam purificata est conditio, &
votum conditionatum transit in absolutum, *Sanch.*
l. 4. mor. c. 22. Vide dicta Cas. 69. à n. 18. item cas.
70. à n. 20. ubi plura dixi de votis conjugum. 8.

8. Qui vovit religionem, si eam bonâ fide ingressus ex justâ causâ exeat è Novitiatu, vel dimittatur, satisfecit suo voto, potestque licet nubere, quia non censetur vovisse professionem, sed ingressum, Vide *Casum 68. n. 9.*

18. QUÆR. IV. Quid circa impedimenta dirimentia?

R. Seqq. 1. Dirimentia sunt 15. expressa his versibus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affinis, si clandestinus, & impos;
Si mulier sit rapta loco, nec reddita tuto.

2. Horum aliqua industa sunt ex jure naturæ, ut error in persona, impotentia, consanguinitas primi gradûs saltem in linea recta, ligamen seu matrimonium actuale cum aliâ: reliqua sunt de jure Ecclesiæ; omnia hæc dirimunt matrimonium etiam in iis, qui ea invincibiliter ignorant, idque pro omni casu etiam in periculo, vel metu mortis, nisi dispensetur; hinc invalidum est matrimonium cum consanguineâ vel affine, quamvis ignores tibi esse consanguineam vel affinem, aut etiam contrahas ex urgentissima causa, v. g. ad evitandam gravem infamiam, vel in articulo mortis ad legitimandam prolem. Ratio est, quòd ignorantia invincibilis excuset quidem à lege prohibente, ne quis peccet, non tamen à lege irritante; neque enim per hoc, quòd ignorem meam inhabilitatem, fio habilis. Dices: Præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto incommodo, vel saltem cum periculo vitæ. R. Præcepta prohibentia non ita obligant, *transeat*, inhabilitantia, N. Sic enim has leges interpretatur communis Ecclesiæ praxis, ita ut pro omni casu ligent; quis enim dicet, Sacer-

dorem

dotem ex ulla causa nunc validè contrahere Matrimonium?

3. Per consuetudinem induci, & abrogari potest impedimentum dirimens, modò consuetudo sit rationalis & legitimè præscripta, *Suar. Nav. Man. c. 22. n. 8. Sanch. l. 7. d. 4. Sylvius in suppl. q. 50. Peretz. s. 6. n. 5. La Croix n. 517. Schmaltz. n. 372.* Colligitur ex *c. super eo de cognat. spirit.* ubi an personæ aliquæ conjungi valeant, an secus? Jubetur inquiri consuetudo Ecclesiarum; & generalis regula est ex *c. fin. de consuet.* quòd consuetudine novum jus induci, & antiquum abrogari possit, modò sit rationalis, hoc est, non adversetur legi naturali, vel Divinæ, neque plùs noceat, quàm profit communi bono, *Pont. Less. Krimer n. 1257.* & sit legitimè præscripta, ad quod sufficiunt decem anni etiam respectu legis Ecclesiasticæ, nec requiritur scientia, vel consensus legislatoris, nisi legalis, quâ scit consuetudinem rationabilem generaliter à legibus approbari, etsi ignoret hic & nunc agi contra legem, ut dixi *Cas. 5. à n. 14.* Dices: Consuetudo contrahendi matrimonium intrà gradus prohibitos, seu cum impedimento dicitur corruptela, *c. quod super 5. de consang.* ergo est irrationabilis. *ꝛ.* Cit. Canon, intelligitur de consuetudine nondum præscriptâ, vel quæ inducta est non in bonum commune, sed in contemptum legislatoris, *Castropalao, Gonzal. in c. 1. de spons.*

4. Qui cum impedimento dirimente scienter contrahit, peccat mortaliter, quia agit contra grave præceptum Ecclesiæ, & Sacramentum redditur nullum, sicut si infantem baptizaret in vino, aut consecraret in aceto; excipe, nisi contrahat ex injusto metu. Vid. *Cas. 88. n. 30.* In dubio, an existat im-

impedimentum, tenentur Pastor & contrahentes diligenter inquirere; si dubium resolvi non possit, & sit merè negativum, ita ut pro existentia impedimenti non sit ratio gravis momenti, matrimonium licitè contrahi potest, quia libertas est in possessione, nec est prudens timor Sacramentum exponendi nullitati, *Sanct. l. 8. d. 6. n. 18. Rosmer. de aff. hum. p. 227. Krimer n. 2436.*

21. §. Si sit ratio gravis & probabilis pro existentia impedimenti, non autem pro ejus carentia, petenda est dispensatio, v. g. dubitatur, an proavus Titii & proavia Caji fuerint frater & soror, eò quòd sciuntur fuisse ex eadem villà, & habuisse idem cognomen; si fuerint frater & soror, Titius & Caja erunt consanguinei in quarto gradu; & si hoc dubium solvi non potest, neque ex memoria, neque ex scientia hominum, neque ex libro Baptismali; petenda erit dispensatio, vel abstinendum à matrimonio, quia magna est præsumptio pro impedimento, nulla autem ratio pro ejus carentia. Idem est, si pro impedimento sit præsumptio, v. g. habuisti copulam cum sorore sponte intrà vas, dubitas, an intrà vas seminaveris, & contraxeris affinitatem, est præsumptio contra te; solet enim plerumque fieri, & ex plerumque contingentibus prudens est præsumptio.

22. 6. Si sit probabilitas juris pro & contra existentiam impedimenti, & impedimentum sit ab Ecclesia dispensabile, licitè contrahitur matrimonium, v. g. probabile est, quòd à baptizante non contrahatur cognatio spiritualis cum matre ex Baptismo necessitatis, vel si à Patrino Physicè non attingatur infans; item probabiliter valet matrimonium, si contrahatur coram Parocho invito, ex metu reverentiali, &c. in his licet contrahere &

consummare matrimonium cum matre talis baptizati, coram Parocho invito, cum metu reverentiali, &c. Idem est de similibus opinionibus (modo non repugnet stilus Curia) *Sancti b. 8. d. 8. Gob. t. 10. à n. 732. Burgh. cent. 3. cas. 100. Gormatz. à n. 320. La Croix n. 42.* Ratio est 1. quia certum est, Ecclesiam tunc supplere, & dispensare, si adsit error communis, & consuetudo sic contrahendi, ut dixi *Cas. 99. à n. 5.* Atqui illa adsunt: ergo, 2. Ecclesia in suis tribunalibus sæpè declaravit matrimonia sic contracta esse legitima; quas declarationes de singulis his exemplis affert *Carden. 2. crisi diff. 2. à n. 514. 3. Alex. VII. teste La Croix l. cit.* respondit Missionarios in materia matrimonii posse sequi sententias probabiles Barbaris favorabiles, 4. In *c. laudabili c. fin. de frig. & malef.* statuitur, quòd dubius de potentiâ naturali possit contrahere: ergo à potiori, qui positivè est dubius de impedimento ab Ecclesia dispensabili, Excipe, nisi impedimentum sit in possessione, ut si dubites de morte prioris conjugis; tunc enim adesse deberet certitudo moralis conjugem esse mortuam, ut dicam *C. 109.* Idem est, si impedimentum consanguinitatis, affinitatis, publicæ honestatis aut criminis, &c. certò existat v.g. in Hæretico in partibus A catholicis, & dubium, aut solùm probabile sit, quòd Ecclesia conniveat aut suppleat, tunc enim impedimentum est in possessione, & stylus curia est contrarius, ut dicam hic *n. 29.* idèdque ut tunc liceat contrahere, petenda erit dispensatio.

QUÆR. V. Quid agendum Parocho, vel Confessario, si advertat ante nuptias impedimentum? 236

R. 1. Si Parochus advertat, aut probabiliter judicet, adesse impedimentum dirimens, & matrimonio-

mo-

monium differri non possit sine gravi damno, scandalo, vel infamiâ sponforum, nec tempus permittat petere dispensationem, eò quòd omnia ad nuptias parata sint, potest permittere, ut matrimonium contrahant, quantum possunt sub conditione futuræ dispensationis, de quâ dixi *Cas. præc. n. 14.* Neque enim tunc simulant Sacramenti administrationem, neque mentiuntur, sed seriò faciunt sub conditione, quod non possunt absolute, tenentur tamen à copula abstinere, usque dum impetratâ dispensatione matrimonium revalident, *Dian. Gob. s. 9. n. 550.*

24. 2. Si unus ex sponis solum novit impedimentum, nec alteri sine infamia manifestari possit, & hic urgeat consummationem matrimonii, prætendendum est privilegium primi bimestris, vel emitendum votum castitatis, usque dum dispensatio ab Ordinario (quem in hoc & simili casu necessitatis dispensare posse docent *Bonac. Peretz, Barbosa. Sanch. l. 2. d. 80. Dian. p. 11. c. 3. n. 30.*) vel Romæ impetrata fuerit.

25. 3. Si uterque contrahens bonâ fide ignoret impedimentum, per se quidem, si sit spes fructus, moneri debent, vel maximè si agatur de matrimonio contrahendo; post matrimonium verò nulliter contractum, si periculum sit, ne etiam post monitionem sponsi perrecturi sint in copulâ, vel timeatur aliud grave malum, teneris tacere, usque dum impetratâ dispensatione matrimonium cures invalidari, quia meliùs est permittere peccatum materiale. quàm dare causam peccati formalis, *c. quia circa de consang.* ubi dicitur: *Disimulare poteris, ut remaneant in copulâ sic contractâ, cum ex separatione videas grave scandalum imminere; si ipse pœnitens interroget, adhuc pote-*

poteris dissimulare, quasi non audiisses, si veritatis cognitio ei esset nocitura, [quia veritas foret gladius, quo se vel alium faucia- ret, *Dicast. Stotz. de pœn. l. 2. num. 131. V. Cas. 111. q. 5.*

4. Quando Confessarius dubitat, an monitio 26. sit pro vel ob futura, si agatur de matrimonio con- trahendo, plerumque consultius est impedimen- tum detegere, & suadere, ut pœnitens dispensa- tionem petat, vel à matrimonio abstineat; si matrimonium sit contractum, inter se conferri debent periculum damni, & spes fructûs, illud- que eligi, quod præponderat. Quid agere de- beat Parochus, si impedimentum ei deferatur ab uno teste, vel de eo sit suspicio, fama, vel illud sciat ex confessione, aut aliud sit dispen- satum pro foro conscientie tantum, dixi supra num. 7. qualiter matrimonium invalidè contra- ctum revalidari, aut dispensatio peti debeat dicam *Cas. CXI. toto.*

QUÆR. VI. An valeant matrimonia hæreti- 27. corum contracta cum impedimento Ecclesiastico in illorum terris non recepto, v. g. cum impedi- mento criminis, publicæ honestatis, consangui- nitatis & affinitatis in tertio & quarto gradu? De matrimoniis non contractis coram Parocho, vel testibus dicam specialiter *Cas. 110.* De matrimo- niis hæreticorum sub conditione, ut ex certis cau- sis liceat repudium, dixi *Casu præced. num. 21.* Qualiter Catholico liceat ducere hæreticam, di- cam *cas. 108. q. 3.*

R. Matrimonia sic contracta non valere asserunt *Less. Bosco, Gob. t. 9. à num. 41. Schmier, p. 3. c. 1. num.*

G

num.

R. D. Janjen Theol. Moral. Tom. IV.

num. 24. Reiffenst. t. 3. num. 142. Krimer n. 1897.
 Rationem dant : 1. Hæretici sunt verè subditi
 Ecclesiæ, ejusque legibus obligantur ; ergo illo-
 rum conjugia contra legem Ecclesiæ irritantem
 sunt nulla, sicut nulla sunt, si ejusmodi conjugia
 ineantur ab orthodoxis. 2. Quamvis apud hæ-
 reticos sit consuetudo sic contrahendi, tamen ut
 illa præscribat contra legem, debet esse rationa-
 bilis, & habere consensum Principis; sed hæc
 consuetudo non est rationalis, cum repugnet
 juri naturali & Divino, utpote inducta non ex fi-
 ne boni communis, sed in contemptum Ecclesiæ,
 neque habet consensum Principis, quia præsumi
 non potest, quòd Pontifex illis tanquam rebelli-
 bus in hoc favere velit. 3. Si consuetudo eximat
 hæreticos à legibus matrimonialibus, ergo etiam
 ab omnibus aliis legibus Ecclesiæ, quibus con-
 stanter contraveniunt, & sic poterunt præscri-
 bere subjectionem, & obedientiam ad Ecclesiam,
 quod nemo admittit. 4. Etiam valebunt matri-
 monia apostatarum monachorum & monialium in
 terris hæreticorum; quod est absurdum. 5. S.
 Congregatio Episcopo Tricariensi S. Sedis ad Bel-
 gas Legato rescripsit inter alia anno 1605. 19.
 Januar. non valere matrimonia absque Catholico
 Pastore & testibus contracta in locis, ubi Triden-
 tinum est promulgatum: ergo à pari nulla erunt
 matrimonia contra alias Ecclesiæ leges irritantes
 inita. 6. Impedimentum v. g. affinitatis in
 hæretico existit, & est incertum, an Ecclesia
 conniveat, ergo est possessio pro impedimento, &
 nullitate matrimonii.

28. Econtra prædicta matrimonia valere tenent
March. Tribun. tom. 3. tr. 1. tit. 6. concl. 4. Bona-
gratiaq. reg. de matr. heret. §. 8. Mais. de matr.
num.

num. 67. *Stalenus p. 1. q. 3. p. 2. c. 4.* faventque teste *Gobat. loc. cit. Tann. Dicast. Laym. & probabilem dicit Wiest. tit. 1. num. 200. Schmalzgr. num. 379.* Ratio est, quia impedimenta matrimonii possunt consuetudine abrogari, modò consuetudo sit præscripta, & rationabilis, & non desit consensus Principis, ut dixi hìc suprà num. 19. atque hæc omnia adsunt; nam 1. Est præscripta, & ultra centum annos continuata. 2. Est rationabilis, quia omninò expediens est pro bono communi, ut lex irritans post contrarium tot annorum usum cesset; ejus enim observatio invehret multa incommoda, & perturbationes pacis Catholicos inter & heterodoxos; nã oportebit dicere, quòd nati è talibus conjugis sint illegitimi, & tales conjuges conversi possent ab invicem separari, & ad alias nuptias transire, quod est contra sensum, & praxin Ecclesiæ, quæ eorum filios conversos absque dispensatione super natalibus, ad Ordines admittit. Unde 3. adest consensus Ecclesiæ, quæ scit ita contrahi, & tamen teste *Verjus & Gobat. num. 464.* ab anno 1603. vel 1605. non contradicit, & ab Episcopo Castoriensi Vicario per Hollandiam apud *La Croix. n. 768.* super valorem ejusmodi matrimonium interpellata anno 1671. respondit: *Non convenire, ut quæstio illa à S. Officio definiatur, verùm statueret ipse, quid animarum sibi creditarum saluti crederet maxime expedire.*

Hæc sententia non est minùs probabilis, quàm prima, cujus argumenta sat aptè solvuntur, dicendo ad 1. Hæreticos obligari legibus Ecclesiæ, quamdiu usu contrario non sunt abrogatæ. Ad 2. Quamvis hæretici primitùs malâ fide contra legem agendo consuetudinem istam induxerint, ipsa

tamen consuetudo jam inducta conducit ad bonum commune, & pacem publicam, ideoque est rationalis, nec requiritur in operantibus contra legem bona fides, ut dixi *casu 5. num. 14.* Ad 3. N. C. Nam Ecclesia potest consentire, ut hæc vel illa lex à se statuta per contrariam consuetudinem abrogetur, & reverà ita præsumitur consentire in consuetudinem contra leges connubiales ob rationes allatas; e contra Ecclesia nec vult nec potest consentire, ut hæreticus non maneat subditus Ecclesiæ, seu totaliter ab ejus obedientia absolvatur, quia illa subjectio est ex jure Divino & naturali, & ideo contra illam nulla valet præscriptio, *c. cum non de præscript.* Ad 4. N. seq. Consuetudo locum non habet, ubi deest omnis consensus Superioris, hîc autem deest quòdam matrimonia apostatarum, monialium, vel Sacerdotum, quia Ecclesia contradicit, & semper, quando potest, eos separat à sacrilego connubio, quod non facit cum hæreticis. Ad 5. non satis constat de hac declaratione, & si ea in forma etiam authentica exhibeatur, plus non evincit, quàm quòd decreto Tridentini obligentur etiam hæretici in provinciis in quibus illud est publicatum, non verò probatur, quod per illud consuetudini legitime præscriptæ adempta sit vis derogandi huic aut aliis sanctionibus Canonicis. Ad 6. & id verum esse de matrimonio contrahendo, ita ut sub peccato abstinere ab eo teneatur, non verò de matrimonio jam contracto, ex dictis:

29. Sequitur 1. Non esse licitum sic contrahere, suadere, ut cooperari matrimonio sic contrahendo; quia sententia negans ejusmodi matrimonia valere est probabilis, & magis tuta, & agitur de valore Sacramenti, & stylus Curie Rom. teste

La Croix num. 769. est contrarius & Papa Benedictus XIV. quamvis in suâ Bullâ datâ Romæ 4. Novembr. 1741. (quam verbo tenus referam *Cas. CX. num. 15.*) novissimè declaraverit, valere matrimonia tam A catholicorum inter se, quàm Catholicorum cum A catholicis in Hollandiâ & fœderato Belgio coram ministro aut Magistratu A catholico contracta, ramen expressè addit has clausulas: *Dummodo aliud non obstiterit impedimentum Canonicum. & : non concurrente Canonico impedimento.* & cum exceptio firmet Regulam in casibus non exceptis, per has clausulas magnum pondus accessit sententiæ primæ: nihilominus si matrimonium cum tali impedimento Ecclesiastico jam fuerit contractum ab A catholicis, ex usu Ecclesiæ non separantur etiam postquam ad fidem orthodoxam fuerint conversi, quia manet probabile hujusmodi matrimonia valere, & laudatus Pontifex Benedictus XIV. per præmissas clausulas non videtur voluisse derogare sententiæ secundæ & praxi Ecclesiæ hucusque tolerante Papâ continuatæ; sed solùm in hac sua declaratione de valore matrimonii coram ministro A catholico initi, non voluisse comprehendere matrimonia cum alio impedimento Ecclesiastico v. g. affinitatis &c. contracta; omninò tamen tutius erit, petitâ & obtentâ dispensatione, tale matrimonium coram Parocho Catholico & testibus renovare, ne se exponant periculo fornicationis saltem materialis; quod vel maximè observandum, si conjuges post conversionem habitent in loco, ubi Tridentinum est receptum.

30. Sequitur 2. Proles hæreticorum ex ejusdem ma-
 trimonio natas, & conversas etiam apud Catholicos
 habendas esse pro legitimis saltem quoad effectus
 civiles, v. g. admissionem ad Comitatus, ad Ordines
 Equestres, & Religiosos, ad successionem in
 jura, & bona paterna, tum quia in dubio standum
 est pro legitimitate prolis: tum quia conversi ad
 veram fidem non debent esse pejoris conditionis,
 quàm non conversi, qui in foro externo per omnia
 habentur legitimi, & ita habet praxis Dicasterio-
 rum; idem est, si matrimonium hæreticorum ex
 causâ adulterii dissolvatur, & aliud vivente priore
 conjuge ineatur, proles ex secundo thoro natæ ha-
 bentur legitimæ, *Capus. de matr. c. 2. n. 14. Roland.
 Cavallos hic q. 697.* Et in Instrumento Pacis Mona-
 steriensis expressis verbis cautum est, ne cui fraudi
 sit ac damno una ex tribus Religionibus, Catholica
 Lutherana, Calvinistica; sed esset fraudi & damno,
 si, qui secundum unam Religionem legitimi repu-
 tantur, ab alia propter illegitimitatem à Comitibus
 excluderentur, & ita resolvit Facultas Theo-
 logica Colon. & Trevirensis apud

La Croix num. 777.



C A S U S CVII.

De impedimento erroris, conditionis, voti, cognationis, affinitatis.

UBaldus vult solvi à Titia uxore : 1. Quia eam non reperit virginem. 2. Quia petiit eam, quam viderat in horto. 3. Quam amicus retulit esse pulchram, & data est alia. 4. Petiit filiam Petri, & data est filia Pauli. 5. Non cogitabat ducere uxorem, sed quia hac se finxit divitem, ideo eam duxit. 6. Putavit matrimonium esse solubile, vel non obligare ad debitum conjugale. 7. 8. Putavit ipsam esse liberam, cum tamen sit mancipium, & dominus non consensit. 9. Ipsa dicitur fuisse monialis, vel voto obstricta. 10. 11. Ipse ante pubertatem vel ex metu fuit ordinatus. 12. Suscepit ejus prolem, sed nescius eam esse Titia, vel se exinde contrahere cognationem spiritualem. 13. Non fuit ad hoc designatus. 14. Baptizavit propriam prolem. 15. Fuit adoptatus à patre Titia. 16. 17. Titia dicitur esse ipsi consanguinea. 18. 19. 20. 21. Affinis affinitate contracta ante Baptismum. Pro Resol.

QUÆR. I. Quid circa impedimentum erroris ? I.

R. I. Error potest esse vel circa personam, ut dum putatur esse Titia, & est Caja; vel circa qualitatem personæ, ut cum putatur esse virgo, nobilis, dives, cum sit corrupta, ignobilis, pauper;

uterque error vel est *antecedens*, qui dat causam contractui, ita ut eo non existente, contractus non fieret; vel est *concomitans*, qui non inducit ad contrahendum, sed ita comitatur actum, ut eo non existente adhuc fieret.

¶ 2. Certum est, quod *error in personâ* matrimonium reddat invalidum, ut cum putas te contrahere cum Caja, & contrahis cum Titia, *c. 1. in 201, de spons.* Ratio est, quia talis error tollit consensum circa hanc personam, qui est de essentia matrimonii; quod enim non est cognitum, non potest esse volitum. Nec obstat, quod hic error solum sit concomitans, & fortè maluisset contrahere cum Titia, si scivisset hanc esse; nam consensit in solam Cajam, & ex ista comparatione animi solum sequitur, quod fuisset consenturus in Titiam, si scivisset eam esse; non autem quod de facto consenserint in Titiam, quam ignorabat. Dices 1. Gen. 29. Jacobo loco Rachaëlis substitu-ebatur Lia, & tamen valuit matrimonium, 2. Isaac validè benedixit Jacob, putans esse Esau, 3. Valet Baptismus, & absolutio data Petro, quæ putabatur dari Paulo. ¶ Ad 1. N. Ass. Nam matrimonium Jacob ab initio erat nullum, utque dum à Jacob fuit renovatum. Ad 2. Benedictio ex Divina voluntate cadebat in personam præsentem, qualiscunque illa esset. Ad 3. N. conseq. Intentio baptizantis & absolventis debet ferri in præsentem, qualiscunque ille sit; quod si nubens etiam intendat ducere personam quamcunque sibi præsentem, valet matrimonium, sive sit Caja, sive Titia.

2. ¶ 3. Error circa qualitatem non invalidat matrimonium, nisi qualitas redundet in substantiam hoc autem dupliciter fieri potest: 1. Si qualitas de-

designet personam, ut si dicas : Peto ex filiabus
tuis istam, quam ante menssem vidi in horto, si
tum substituatur alia, matrimonium est nullum.

2. Si qualitas in ipso contractu in-vel externè ap-
ponatur tanquam finis principaliter intentus, ita
ut adsit actualis expressa, vel virtualis voluntas non
contrahendi, nisi adsit talis conditio vel qualitas.

Ita quòad rem omnes. Ratio est, quia tunc
consensus alligatur tali qualitati, vel conditioni,
ita ut non existente illâ etiam non existat consensus
in matrimonium; si qualitas modo explicato non
redundet in substantiam, error vel etiam dolus
circa qualitatem non obest valori, quamvis sit an-
tecedens, & det causam contractui, ita ut matri-
monium non fuisset inicum, si scivisset illam qua-
litatem non adesse, quia de facto simpliciter con-
traxit, & in contractu non attenditur id, quod
quis fecisset vel voluisset in aliis circumstantiis,
sed ad id, quod de facto fecit vel voluit; voluit
autem personam, quam de facto habet coram se,
& si talis contractus esset irritus, nullum ferè va-
leret matrimonium, quia quilibet putat se contra-
here cum persona virtuosa, honesta, divite, no-
bili, &c. cum tamen in uno horum plerumque
erretur, *Sanch. l. 7. d. 18. Boscop. 5. d. 11. f. 7 Spo-
rer c. 1. n. 5. Eng. tit. 1. §. 4. Schmaltz. ibid. n. 447.*
Ex dictis

Resolves Casus sequentes : 1. Titius petiit fi-
liam natu-minorem à patre, quam videret esse 3.
pulchram; pater negat illam, sed offert natu-
majorem, quæ formosa non erat; Titius jubet
per amicum videri hanc & sibi referri, cujus for-
mæ sit natu-major, pater amico ostendit natu-
minorem, dicens esse natu-majorem, hinc ami-
cus deceptus nuntiat Titio natu-majorem esse pul-
chram,

chram, & ideo Titius per procuratorem init cum eâ matrimonium, quæritur, an validè? Affirmat *Sanch. l. 8. d. 18. num. 35.* distinguit *La Croix*; at rectiùs simpliciter negant *Pontius*, *Tamb.* cum *Sporer num. 8.* quia qualitas hîc designat personam; nam Titius solùm voluit illam, quam amicus viderat esse pulchram, & pulchritudo fuit conditio sine qua non, vel saltem motivum principale, quod patet ex eo, quia nec determinatè voluit natu-majorem, nec natu-minorem, sed pulchram.

4. 2. Si quis petat unam ex filiabus Petri, & substituatur filia Pauli, non valet matrimonium *Schmaltzgruber loc. cit.* quia licet consensus contrahentis non fuerit determinatus ad certam filiam Petri fuit tamen determinatus ad aliquam ex illis, cum exclusione aliarum, quæ Petri non sunt.

5. 3. Aliquis non cogitabat ducere uxorem, sed quia audit Bertham esse nobilem, eam ducit, ut fiat affinis nobilium; si Bertha non sit nobilis, matrimonium est irritum defectu consensûs, cujus finis, & objectum simpliciter motivum, erat nobilitas, quæ non existit; deficiente autem fine & motivo deficit consensus.

4. Si dicas: Volo & duco hanc præsentem, quam puto esse primogenitam, valet matrimonium, etsi non sit primogenita; econtrà non valet, si dicas: Volo primogenitam, quam puto esse hanc præsentem, *Sanch. Tambur. Sporer num. 7. La Croix num. 554.* Ratio est, quia in primo casu consensus directè fertur in personam præsentem, & indirectè solùm in qualitatem: ergo qualitate non existit.

stente adhuc valet consensus; contrarium est in casu secundo.

5. Si virgo nihil scivit de commixtione corporum inter conjuges, validè contraxit, etsi commixtionem abhorreat, quia habuit intentionem generalem faciendi, quod alii contrahentes; similiter valet, si quis credat, matrimonium ex certis causis esset solubile, modò solubilitatem contractui non apponat tanquam conditionem sine qua non, de quo vide *Casu 105. num. 21.* An validè contrahat, qui falsò credit adesse impedimentum dirimens, dixi *Casu eod. num. 5.*

6.

QUÆR. II. Quid circa impedimentum conditionis?

R. I. Per *Conditionem* hîc intelligitur stricta servitus, quæ quatuor modis inducitur, jure belli, captivitate, emptione, condemnatione; conditio servitutis ignorata à persona libera dirimit matrimonium, etiamsi ignorantia sit crassa; secùs, si liber scienter cum serva contrahat, *c. si quis ingenuus, c. 2. fin. de conj. serv.* At quid, si persona libera cognitâ ex post alterius servitute velit stare matrimonio, an servus possit resilire? R. Posse, si aliud damnum secutum non sit, quia matrimonium fuit omninò nullum, *Sanchez. l. 4. d. 15. num. 5.*

7.

2. Valet matrimonium servum inter & servam, imò & per se licitum est etiam invitis dominis, quia contrahentes utuntur jure suo, *S. Tho. in 4. dist. 36. q. un. Wiest. tit. 9. num. 6. Reiffenst. tit. 9. n. 6.* Sæpe tamen consuetudo vel pacta habent, ut servus incio, vel invito domino contrahens non gaudeat certis beneficiis, vel privilegiis à domino habitis.

3. Va-

3. Valet matrimonium, quod liber conrahit cum libera, quam erroneè putat esse servam, aut servus cum ancilla quam putat esse liberam, vel servus cum libera, quam putat esse ancillam, *Wiesst. num. 9. Reiffenst. num. 10. Schmaltzgr. num. 23.* Ratio est, quia non erratur in substantia, & Ecclesia solùm irritat matrimonium liberi ignorantis servitutem alterius.

8. 4. Si servus intrà breve tempus, v. g. sex menses, erat futurus liber, *Sanch. l. 7. d. 19.* dicit, valere matrimonium; at rectiùs negant *Sylv. Angel. La Croix num. 563.* quia si liber hoc resciret, posset matrimonium suum habere pro nullo, ergo verè nullum erat; qui ad tempus tantùm est liber, postea in servitutem relapsurus, contrahit invalidè, quia ei adhuc incumbit servitus, quæ ignoratur ab altero, *Sot. Avers. q. 12. sect. 2.*

5. Si dominus servam collocet in matrimonio libero ignorante servitutem, valet matrimonium, quia hoc ipso servæ dedit libertatem; idem est, si dominus conscius, studio taceat, *auth. de nupt. §. si verò, Sanch. Guttier. c. 91. Castropalao. d. 4. p. 5. §. 3.* Econtrà si liber sit conscius servitutis, dominus etsi in matrimonium consentiat, non censetur mancipio tradere libertatem, sed solùm consensisse salvo suo jure, *Gutt. loc. cit. Schmaltzgruber num. 33.* quia d. authentica expressè loquitur, si liber sit inscius servitutis.

6. An error conditionis servilis matrimonium dirimat ex jure naturæ, ut volunt *Scot. Sylv. Reiffenst. num. 3.* vel ex eo solo jure Ecclesiastico, ut sentiunt plerique cum *D. Thom. Bonav. parum* facit ad praxin; benè distinguunt *Pont. Peretz. d. 52.*

d. 25. num. 4. Wiest. num. 11. Si liber cum serva contrahat cum hac expressa conditione & intentione: *Si sis libera*, matrimonium erit jure naturæ nullum defectu consensûs, secus ex solo jure Ecclesiastico.

QUÆR. III. Quid de voto ?

9.
R. 1. Per votum dirimens matrimonium intelligitur solemne castitatis annexum majoribus Ordinibus, & professioni Religiosæ, cum hac tamen distinctione, quòd S. Ordines tantùm dirimant matrimonium contrahendum, professio Religiosa autem etiam contractum ratum, *Trid. s. 24. can. 6. ubi sic statuit: Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Qualiter vota simplicia castitatis, Religionis, &c. matrimonium reddant illicitum dixi *Cas. preced. à n. 14.* Qualiter dirimant sponsalia, dixi *Cas. 104. à n. 19.*

10.
2. Ordinatus ante usum rationis non tenetur abstinere à matrimonio, sicut & ille, qui omninò ignoravit votum castitatis SS. Ordinibus esse annexum; tenetur tamen ante pubertatem ordinatus, ut dixi *Cas. 103. nu. 8.* Sed quid de coacto ad S. Ordines per injustum & gravem metum? (ut non rarò contingit in filiis-familias) Talem non obligari ad castitatem, nec ad Horas, sed licitè & validè matrimonium iniri posse, nisi votum expressè, vel tacitè, v. g. liberè exercendo actum Ordinis, ratificaverit, docent *Barbos. Zoef. Sanchez. d. 29. Avers. s. 8. Pyrrh. l. 4. t. 6. & ibid. Reiffest. num. 9. Krimer nu. 964.* Quia Deus tale votum non acceptat, & Ecclesia declarat irritam, *c. perlatum, c. dilectus, de his que vi metus, c. licet 6. de voto,* & jus universaliter pro
ir-

irritis habet ea, quæ ex gravi metu fiunt, & ope
 judicis ordinarii facilè reparari, & in pristinum sta-
 tum restitui non possunt, ut patet in matrimonio
 & solemnè professione; hæc sententia est valde
 probabilis, & in praxi tuta; at non minùs proba-
 bile videtur talem obligari ad castitatem, & absti-
 nere à matrimonio, *Palud. Sylv. Gutt. Pont. l. 7.*
c. 29. Dian. to. 2. l. 4. t. 193. La Croix num. 577.
Schmaltzgr. num. 23. Probatur ex Conc. Tolet.
 VIII, quod metu ordinatorum arcet à matrimonio,
 nisi dispensationem impetrent; & ratio est, quia
 metus relinquit actum simpliciter voluntarium,
 ergo tale votum de jure naturæ valet, & jure po-
 sitivo nullibi legitur irritatum; nam Canones al-
 legati solùm loquuntur de professione religiosâ,
 in qua ob majorem statûs difficultatem jura mayo-
 rem requirunt libertatem. Confirm. Alii contra-
 ctus, & juramenta metu inita valent & obligant,
 usque dum dispensetur: ergo & votum S. Ordini-
 bus annexum.

3. An conjux cum, vel sine licentia conjugis,
 vel factò divortio S. Ordines suscipere aut religio-
 nem profiteri possit. Item an uxor consenti-
 ens in ordinationem mariti illo mortuo iterum va-
 lidè nubere queat, dixi *Casu 195. à num. 29.*
 Qualiter invalidè professus ad sæculum redire
 & nubere possit, colligitur ex dictis *Cas. 63.*
q. 5.

11. 4. Sacri Ordines ex solo jure Ecclesiæ, non ve-
 rò ex jure naturæ vel Divino matrimonium diti-
 munt, est communis cum *S. Thom. 2. 2. q. 88.*
art. 11. Scot. in 4. dist. 37. q. un. Pyrhing. num. 6.
 Ratio est, quia Ordo de se stare potest cum ma-
 trimonio, ut patet in Ecclesia Græca, imò &
 Latinâ, si uxore adulterante, vel consentiente

maritus Ordines suscipiat ; & Deus nullibi tale
 matrimonium irritum declaravit. Major est
 difficultas de professione religiosâ : hanc dirime-
 re matrimonium contrahendum ex jure naturæ
 docent *Henriq. Scot. & Thomista communiter*, qui-
 bus favet *S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. & S.
 Bonav. ibid.* quia res per professionem Deo tradi-
 ta non potest tradi homini, sicut res vendita & tra-
 dita Petro, nec validè nec licite potest tradi Paulo;
 econtrâ hanc vim inesse professioni ex solo jure Ec-
 clesiastico probabilius docet *Scot. cum suis in 4.
 d. 31. & 42. Mastrius, Pont. Peretz, Sporer. n. 41.
 Suar. Vasq. Couv. & plurimi apud Sanch. l. 7. d. 27.
 n. 4. La-Croix n. 583. Schmalzgr. n. 48.* Ratio
 est 1. quia professio religiosa non importat nisi
 obligationem religionis ad castitatem, &c. at obli-
 gatio religionis ad castitatem potest stare cum obli-
 gatione justitiæ ad debitum conjugale, ut patet in eo
 qui cum voto simplici contrahit matrimonium :
 ergo. 2. Illa vis non inest professioni, quate-
 nus est votum, aliàs etiam inesset voto simpli-
 ci; neque inest, ut est votum solemne, quia so-
 lemnitas est ex solo jure Ecclesiastico, *c. unico,
 de votis in 6.* ubi dicitur *nos attendentes quod voti
 solemnitas ex solâ constitutione Ecclesia est in-
 venta* : & illa solemnitas vix aliud importat quàm
 vim dirimendi matrimonium; neque illa vis in-
 est professioni, quatenus est traditio; nam vo-
 tum simplex in Societate JESU, item votum
 simplex uxoris consentientis in ordinationem
 mariti, invalidat matrimonium, ita ut etiam post
 mortem mariti ordinati, validè nubere non
 possit per *c. seriatim 14. dist. 32.* & tamen hæc
 non continent talem traditionem; deinde vo-
 tum solemne ideo est actualis traditio, quia ab-
 abdi-

dicat à se jus utendi corpore ; sed etiam votum simplex abdicat illud jus , cum non detur jus ad quid illicitum, ergo. 3. Olim professio religiosa non dirimebat matrimonium subsequens , ut claret ex *Can. si qua virgo, c. quotquot, c. virgines caus. 27. q. 1.* ubi virginibus sacris nubentibus pœna statuitur, at non jubentur à nuptiis separari. 4. In jure naturæ directè non potest dispensare Papa , at potest dispensare, ut professus contrahat matrimonium, ut docet communis apud *Sanch. l. 8. d. 8. n. 6.* Et reverà sic dispensatum est cum Raimiro Rege Aragonum, cum Nicolao Justiniano Veneto, cum Constantiâ Moniali Siciliæ Regis filiâ, cum Casimiro Rege Poloniæ ; & certè si Ecclesia votis istis possit addere solemnitatem , cur non tollere ad eum modum, quo locus aliquis ex voluntate Ecclesiæ potest fieri sacer, & ex ejusdem voluntate iterum profanus ? Ad *rationem oppositam* R. Quòd traditio, quâ homo se per professionem religiosam tradit Deo, solùm fundet obligationem Religionis ; traditio verò per matrimonium inducit obligationem justitiæ ; quæ simul stare possunt, sicut simul stant obligatio voti simplicis in conjuge, & obligatio justitiæ reddendi debitum.

12. QUÆR. IV. Quid de impedimento cognationis?

R. 1. Cognatio est triplex, spiritualis, legalis, carnalis. Circa *Cognitionem spiritualem* tenenda sunt sequentia.

1. Cognatio hæc oritur ex Sacramento Baptismi, & Confirmationis inter baptizatum ipsum & illius patrem & matrem cum patrinis, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizati que

patrem & matrem tantum, *Trid. sess. 24. c. 2. tit. tot. de cognat. spirit.* Itaque cognationem spiritualement contrahit baptizans (idem est de confirmante) cum baptizato & ejus parentibus; item patrini cum iisdem, non autem inter se, aut cum baptizante.

2. Patrinus debet esse rationis compos; quia qui usu rationis caret, nec fidejubere pro baptizato valet, nec obire munus instructionis, *Nav. Conig. Pyrrhing. tit. 11. num. 34.* Item patrinus baptismi debet esse baptizatus, Confirmationis confirmatus, *c. in Baptismate 102. dist. 4. de consecr.* Item debet per se, vel per suum procuratorem Physicè tangere infantem, idque animo obcundi munus patrini, seu exercendi actum ab Ecclesia institutum, etsi ignoret huic actui cognationem spiritualement esse annexam, si unum horum desit, non contrahitur cognatio, *Sanch. Tamb. Reiffenst. tit. 11. à num. 25.* At quid, si per errorem leves filium Titiae, putans esse filium Cajæ? Te adhuc contrahere cognationem spiritualement, pro certo habet *La Croix num. 598.* At melius id negant *Laym. hic c. 8. num. 6. Pyrrh. num. 39. Sporer num. 93. Schmalzgr. t. 11. nu. 83.* Nisi fortè velit tenere hunc, cujuscunque sit; ratio est, quia non habuit animum exercendi patrinum respectu hujus infantis. *Dices: Impedimenta etiam incurruntur ab ignorante, & cum errore facti. R.* Incurruntur, si exerceatur actus, cui annectuntur C. secùs N. Actus cui annectitur cognatio spiritualement, est tenere infantem cum animo exercendi munus patrini, quod hinc non fit.

H

3. De-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. IV.

13. 3. Debet adhiberi, & à parentibus, vel in eorum defectu à Parocho designari unus tantum patrinus, vel una, aut unus & una; si seingerat non designatus, cognationem non contrahit, *Trid. loc. cit.* Si plures sint designati, contrahit cognationem vir & fœmina primò tangens infantem, qui sequuntur, inveniunt ministerium patrini jam exhibitum; si simul plures designati tangant, omnes probabilius contrahunt cognationem, *Navar. Schmalzgr. num. 87.* ubi ex *Fagn.* citat declarationem S. Congregationis. Ratio est, quia in omnibus designatis & admissis à Parocho inveniuntur conditiones ad cognationem spiritualement requisitæ; ne tamen id contingat, erit Parochi admittere solum unum & unam, & reliquos scribere ut testes.

14. 4. Baptizans propriam prolem in necessitate contrahit cognationem spiritualement cum matre in tantum, ut impediatur à matrimonio contrahendo, non ab usu contracti, seu petitione debiti, etiamsi id faciat ex malitia, v.g. Parocho præsentem, vel alio sciente & volente baptizare, *s. de eo s. caus. 39. c. si vir 2. de cognat. spirit.* ubi de talibus conjugibus ex malitiâ prolem suam baptizantibus dicitur; *Non sunt ab invicem separandi, nec alteri debitum subtrahere debent;* Canones contrarii sunt antiquati, & jure novo temperati, *Suarez. Peretz. Wiest. t. 11. num. 25. Reiff. n. 30.*

5. Baptizans in necessitate, contrahit cognationem spiritualement, non verò patrini, quia baptizans eam contrahit ratione Sacramenti, quod in necessitate æquè valet, quàm extrâ; patrini verò ratione ceremoniarum, quæ solum institutæ sunt

sunt pro Baptismo solemnibus, *Sot. Gutt. Sporer*
num. 89.

§. 2. Cognatio legalis oritur ex sola arrogati-
one, seu adoptione perfectâ, quâ persona extra-
nea, & sui juris auctoritate Principis assumpta in
filium vel nepotem, transit in potestatem & fami-
liam alterius, ita ut non tantum ab intestato, sed
etiam tanquam hæres necessarius ex testamento in
quartam partem bonorum succedat, non autem
ex adoptione imperfectâ, quâ persona extranea,
quæ necdum est sui juris, sed sub potestate patris
assumitur in filium, & tanquam hæres ab intesta-
to, non verò tanquam hæres necessarius ex testa-
testamento, *Sylv. Wex. Zoef. tit. 12. num. 2. En-
gel. Schamb. Pyrrhing. ibid. num. 4. La Croix num.
588. Krimer. num. 1121. Schmaltzgr. num. 19.*
contra *Ang. Couv. Scot. Palud. Reiffenstul. num.
10. &c.* Ratio est, quia jura solum loquuntur
de adoptione simpliciter, & sine additio, quo
nomine venit sola perfecta, & matrimonium est
res valde favorabilis: ergo jura illud irritantia
(quando eorum sensus est ambiguus) restringi po-
tius, quàm extendi debent, *Reg. 15. in 6.* Hæc
cognatio dirimit matrimonium jure civili & Ec-
clesiastico, inter omnes personas, quas afficit,
quales sunt in lineâ quasi rectâ adoptans ejusque
ascendentes respectu adoptati, & ejus descenden-
tes, qui nati sunt tempore adoptionis, idque in
perpetuum, vel ut alii volunt, usque ad quartum
solum gradum; hæc cognatio lineæ rectæ manet
etiam post adoptionem, seu mortuo adoptante,
vel securâ emancipatione. Affinitas legalis repe-
ritur inter adoptantem & uxorem adoptati,
& e contra inter adoptatum & uxorem adoptantis,
durâtque etiam in perpetuum. In lineâ trans-

versa hæc cognatio tanquam fraternitas est inter liberos legitimos adoptantis & adoptatum, quamdiu durat adoptatio, non verò inter liberos adoptantis & adoptati, aut filium & filiam adoptatam. Attamen ut adoptatio dirimat matrimonium, debent adesse omnes juris solemnitates, v. g. autoritas Principis, cognitio causæ, si adoptandus sit impubes; item ut adoptans sit 18. annis major adoptato, & reliqua, quæ præscribuntur §. *cùm autem* 3. *instit. de adopt. l. 2. & fin. C. eod. Unio prolium*, Germanicè *Leinindschafft / oder / Erb-Verbrüderung* / quamvis sit species adoptionis, ejusque solemnitates requirat teste *Gail.* tamen matrimonium non impedit, quia impedimenta utpote odiosa non sunt extendenda ad casum jure non expressum, *Engell. cit.*

26. R. 3. Circa cognationem carnalem seu consanguinitatem, tenenda sunt sequentia: 1. *Cognatio carnalis* est propinquitas personarum ex eodem propinquo stipite, seu communi patre descendentium, *S. Thom. in 4. dist. 40. q. un. art. 1.* Hæc propinquitas juxta *Konig. Laym. Valleng. tit. 14. num. 6. Schamb, Pyrrhing, ibid. num. 9.* jure naturæ dirimit matrimonium inter omnes af. & descendentes in lineâ rectâ usque in infinitum, ita ut Adam modò resurgens nullam ex præsentibus feminis ducere posset; econtrà alii cum *D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3. Cajet. Veracruz, Perez. Sanchez. l. 7. d. 51.* veriùs dicunt, matrimonia in lineâ rectâ quòdam gradus proximiores esse quidem ob reverentiam sanguinis jure naturæ prohibita, at non esse de jure naturæ invalida, nisi in gradu primo inter patrem & filiam, filium & matrem, ideòque si apud infideles avus suam neptem du-

duceret, matrimonium foret validum, etsi illicitum; ratio est, quia multò major reverentia debetur patri, quàm avo, & filius à patre est per se, ab avo per accidens; nam si pater fuisset creatus ex nihilo, sicut Adam, adhuc poterat generare hunc filium.

2. Cognatio in lineâ collateralis, seu transversâ dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè, *c. non debet, c. ult. de consang.* & quamvis plures dicant, in primo gradu, v. g. inter fratrem & sororem matrimonium esse nullum de jure naturæ, id tamen rectiùs negant *S. Thom. Bonav. Scot. Cajet. Couv. Dian. Avers. Castropalao d. 4. p. 4. Wiest, tit. 14. num. 28.* aliàs enim matrimonium non fuisset licitum inter proles Adami, & Deus aliter debuisset providere propagationi humanæ.

3. Si duo sibi sint consanguinei in gradu mixto ^{17.} ex quarto & quinto, non impediuntur à matrimonio, *c. fin. de consang.* quod etiam tenet, quamvis una pars attingat primum gradum, & altera quintum, quia impedimenta utpote odiosa non debent extendi ultra quartum gradum à jure expressum, *Fagn. in d. c. fin. Sanch. d. 53. n. 5. Schmier p. 3. c. 3. n. 94.*

4. *Linea recta* dicitur respectu eorum, quorum unus generavit alterum, ut avus, pater, filius, nepos; *collateralis* dicitur respectu eorum, quorum unus non generavit alterum, attamen descendunt ab eodem stipite, ut frater & soror, eorumque filii & nepotes; tot sunt gradus in lineâ rectâ, quot sunt personæ unâ demptâ; vel alii dant hanc regulam: Positi in lineâ rectâ tot gradibus distant, quot intercedunt generationes activæ, sic à patre tuo distas uno gradu,

H 3

ab

ab avo duobus, à proavo tribus, & sic de cæteris. In lineâ transversâ seu collateralî tot gradibus distant inter se, quot gradibus singuli distant à communi stipite; sic frater & soror, quia solum uno gradu distant à stipite, qui est pater, sunt consanguinei in primo gradu; patrueles seu fratrum filii in secundo, horum liberi in tertio, nepotes in quarto, & sic deinceps. Item quia patruus meus distat ab avo meo uno gradu, & ego ab eodem avo meo disto duobus, hinc patruo consanguineus sum in primo & secundo gradu. Unde si Petrus velit ducere Mariam, & velis scire, in quo gradu sint consanguinei, ante omnia inquirendus est stipites seu communis utriusque parens, itaque scribe nomen Petri ab uno, & nomen sponsæ ab altero latere, & super Petrum scribe illam personam proximam, quæ dedit causam cognationis, & super hanc aliam & aliam similiter; scribe in altero latere eos, qui ex parte sponsæ sunt causa cognationis, nec desiste, donec invenias communem stipitem, è quo sponsus & sponsa mediâterè sunt generati. Si nequeat reperiri stipites, certum est, nullam esse cognationem. Si inventus est stipites, numera personas ex parte remotiore scriptas, dempto stipite, tot erunt gradus consanguinitatis, quot erunt personæ dempto stipite, v. g. Petrus vult ducere Mariam, quæ dicitur eundem cum ipso habuisse abavum, sic formabitur schema:

Abavus.

Proavus.	}	Proavia.
Avus.	}	Avia.
Pater.	}	Mater.
Petrus.	}	Maria.

Ubi si dempto stipite personas numeres, reperies. quòd Petrus sit Mariæ consanguineus in quarto gradu æquali, ideòque indigeant dispensatione. Norandum; quòd jus civile quòdã computationem graduum in lineã rectã concordet cum jure Canonico, quòdã lineam transverſam jus civile hanc observat regulam, quòd tot sint gradus, quot personæ dempto stipite; hinc secundùm jus civile duo fratres sunt in secundo gradu, cùm tamen de jure Canonico sint in primo; hæc computatio civilis attenditur in tutelis committendis, & in ſucceſſionibus ab intestato, ita ut pater v. g. ſuccedat ab intestato, non frater, quia pater est in gradu primo cum filio, & frater in secundo; econtra computatio Canonica observatur in matrimoniis contrahendis; deinde secundùm jus civile illi tantùm dicuntur *Agnati*, qui per viros habent cognationem; econtrã cognati vocantur, qui per feminas habent; unde ſoli agnati & non cognati dicuntur ſuccedere in feudis masculis, cognati in feudo promiſcuo.

5. Nomina consanguinitatis sunt hæc:

Pater, Vater, Mater, Mutter.
 Avus, Aherr, Groß-Vatter,
 Avia, Anfrau, Groß-Mutter:
 Proavus, Uranherr, Proavia, Uranfrau
 Abavus, Uranſvatter, Abavia, Uranſ-
 mutter.

Atavus, Uranſ-urann.
 Nepos, Enckel, Kinds-Kind.
 Pronepos, Enckels Sohn,
 Proneptis, Enckels Tochter.
 Abnepos, Enckel des Enckels,

H 4

Ahnep-

Abneptis, Enckels Enckelin.
 Atnepos, Enckels Uhr-Enckel.
 Patruus, Vatters Bruder.
 Avunculus, Mutters Bruder.
 Patruus magnus, Groß Oheim, Anherr
 Bruder.
 Avunculus magnus, Anfrauens Bruder.
 Amita, Vatters Schwester,
 Amita magna, Anherr Schwester.
 Matertera, Mutters Schwester,
 Matertera magna, Anfrauens Schwester.
 Nepos ex fratre, Bruders Sohn.
 Nepos ex sorore, Schwesters Sohn.
 Patruales, zweyer Bruder Kinder.
 Consobrini, zweyer Schwester Kinder.
 Amitini, Bruder und Schwesters Kinder.
 Sobrini, Geschwister Enckelen.

QUÆR. V. Quid de impedimento Affinitatis?

18. R. 1. *Affinitas* est propinquitatis personarum orta ex copulâ carnali cum alterius consanguinitatis, si copula sit maritalis, dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè, si fornicaria, usque ad secundum inclusivè, *Trid. sess. 24. de reform. matr. c. 4.* Idque non ex jure naturæ, sed solo jure Ecclesiastico etiam quoad primum gradum, non tantum lineæ transversæ, ita ut ex dispensatione Ecclesiæ possit frater ducere uxorem fratris sui defuncti, sed etiam in primo gradu lineæ rectæ, v. g. inter novercam & privignum, inter socerum & nurum. Primam partem tenent omnes Catholici contra modernos sectarios, tum quia Deut. 25. v. 5. Deus Judæis præcepit, ut

frater ducat uxorem fratris sine liberis defuncti, & Gen. 29. v. 23. & 28. Jacob Patriarcha in uxores accepit duas sorores, Liam & Rachelem, tum quia ita statuitur c. fin. de divort. & habet praxis Ecclesiæ, quæ in primo gradu lineæ transversæ sæpiùs dispensavit; tum quia vinculum affinitatis lineæ transversæ non est arctiùs, quàm consanguinitatis, atque hoc in primo gradu lineæ transversæ, v. g. inter fratrem & sororem non dirimit matrimonium jure naturæ, ut suprâ dictum est: ergo minùs affinitas. Pro secunda parte stant *Cajet. Scot. Sanch. Dian. Pontius, Schmier. n. 149. Krimer. n. 2179. Schmaltzg. tit. 14. à n. 99. contra Palud. Sylv. Sor. Sor. Vasq. Pyrrh Reifensf. n. 49.* & plures alios. Probatur ex Concilio Epaunensi c. 30. Aurelianensi III. can. 10. ubi deciditur: Conjugia in infidelitate contracta cum relicta patris, vel cum filia uxoris post susceptum Baptismum solvenda non esse. Et ratio est, quia ex sic affinibus neuter est alterius principium, nec est conjunctio sanguinis; ergo non est, unde ex lege naturæ inter hos irritetur matrimonium.

2. Affinitas non oritur nisi ex copulâ perfecta, quæ sit sufficiens ad generationem cum immiffione, & receptione seminis intrâ vas naturale, etiam si fiat cum ebriâ, dormiente, insanâ, invitâ, quia talis copula sufficiens est ad generationem. *Communis*: econtrâ ad affinitatem non sufficit copula eunuchi, quia verum semen non habet, nec sufficit copula sodomitica in vas præposterum, nec copula tentata, aut quævis imperfecta, in quâ sola mulier seminar. At quid, si semen viri effundatur circa muliebria, & attrahatur à matrice, vel arte magicâ vel aliter intromittatur, consergetne affinitas? affirmant *Avers. Sanch. d. 64.*

H 5

n.

n. 15. quia adest vera seminum commixtio, sed æquè probabiliter negant *Pont. l. 7. c. 53. Conrad. in praxi disp. l. 7. c. 1. n. 18.* quia affinitas non contrahitur, nisi ex copulâ, atqui non est vera copula, ubi non est penetratio vasæ, & impedimenta matrimonii sunt odiosa, ideòque restringenda. An verò etiam requiratur semen sceminæ, ita ut hâc non seminante non contrahatur consanguinitas, controvertunt DD. in utramque partem probabiliter, in dubio præsertim si magnam in copula senserit voluptatem, præsumitur seminasse, quia ita communiter contingit.

3. Si affinitas superveniat matrimonio contracto, v. g. maritus cognoscit consanguineam uxoris, vel contra; impedit petitionem debitorum parte nocentis; requiritur tamen, ut sciverit personam cognitam fuisse uxoris consanguineam, aliàs hanc pœnam non incurrit. *L. si quis de n. qui cogn. imò Nav. Dian. Gobat. t. 10. n. 601. Viva op. 1. q. 3. art. 3.* & alii probabiliter dicunt non incurri hanc pœnam ab eo, qui ignorat, vel non recordatur eam suo incestui esse annexam, quia pœnam non incurrit, nisi contumax, ignorans pœnam contra eam non est contumax; sed quamvis hoc verum sit de pœnis medicinalibus, v. g. censuris, ut dicam *Cas. 113.* id tamen probabilius non tenet de pœnis vindicativis, qualis est hæc. De cætero hæc pœna non incurritur, nisi quis cognoverit consanguineam uxoris in primo, vel 2do gradu, quia affinitas ex copulâ illicita qualis utique est hæc adulterina, secundum gradum non excedit. *Trid. l. cit.* posse verò regulares mendicantes & cum iis participantes in hac pœna, sicut & in omnibus votis & juramentis dispensare, in quibus potestate ordinariâ dispensat Episcopus.

Episcopus, dixi *Cas. 71. num. 5.*

4. Affinitas intercedit solum inter cognoscentem & consanguineos cognitæ: item inter cognitam & consanguineos cognoscentis; ut autem scias, in quo gradu aliqua persona v. g. Titia tibi sit affinis, attende, in quo gradu sit consanguinea personæ à te cognitæ, & in eodem gradu erit tibi affinis, ut si Titia sit soror, mater vel filia personæ à te cognitæ; erit tibi affinis in primo gradu, si neptis, in 2do, & sic deinceps.

5. Si infideles contraxerunt cum impedimento Ecclesiastico affinitatis, consanguinitatis, publicæ honestatis, criminis &c. & postea baptizentur, non ideo separari debent *c. de infidelibus 4. de consang.* nam dum contraxerunt, Ecclesiæ non erant subjecti, ergo nec ejus tenebantur impedimento: e contra si post baptismum cum tali impedimento contrahere velint, non possunt absque dispensatione, etiamsi illud impedimentum contraxerint tempore infidelitatis. *Avers. q. 17. s. 6. Kugler hic à num. 1902. Schmaltzg. n. 88.* nam licet Ecclesia non possit statuere aliquid, quo ligentur, quamdiu sunt infideles, tamen potest statuere aliquid, quo ligentur, quando erunt fideles, ita ut, quamvis ante baptismum potuerint contrahere cum consanguineâ in 3tio vel 4to gradu, vel cum affine in 2do: id tamen non possint post baptismum, ut constat *ex c. fin. de divort.* idem autem est de aliis impedimentis, v. g. honestatis, vel criminis, quia Canones universaliter dicunt, quod fideles habentes tale impedimentum, sive talem relationem ad invicem, non possint validè contrahere, nec distinguunt Canones, an illud inciderit ante, vel post Baptismum, ergo cum post Baptismum sint subjecti Eccle-

21.

Ecclesiæ, & tale impedimentum, sive relationem ad invicem habeant, non poterunt (nisi eâ dispensante) contrahere.

6. Præcipua Nomina Affinitatis sunt.
 Socer, pater uxoris vel mariti Schwäher.
 Socrus, mater uxoris vel mariti Schwiger.
 Confoceri, parentes uxoris & mariti Gegen Schwäher.

Gener, maritus filix Tochter Mann.

Nurus, uxor filii Schnurr.

Levir, frater mariti Manns Bruder.

Glos, soror mariti Manns Schwester.

Fratrìa, uxor fratris Bruders Weib.

Sororius, maritus sororis Schwester

Mann.

Vitricus Stieff = Vater.

Noverca Stieff = Mutter.

Privignus Stieff = Sohn.

Privigna Stieff = Tochter.



CASUS CVIII.

De impedimento criminis, & disparis cultûs.

WAbius duxit Cajam relictam viduam Webii dubitat, an validè. 1. Quia Caja occidit maritum ipso consentiente & gaudente, rati habente. 2. Quia occidit, sed non ex intentione saltem primariâ matrimonii, sed liberius fornicandi, vel de hoc dubitat. 3. Mors fuit secuta ex imperitiâ medici. 4. Habuit adulterium cum Cajâ. 5. Sed sine effusione seminis, ignorans eam esse maritatam, eique promisit matrimonium, sed non sub eodem conjugio. 6. Promisit fide alterâ non reprobante, 7. Nec acceptante sed tacente. 8. Sub conditione non impletâ, vel his verbis: non ducam aliamquàm te, vel ducerem te, si non essem conjugatus. 9. Matrimonium Caja erat probabiliter invalidum. 10. Ignoravit illam pœnam crimini esse annexam. 11. Quia Caja infidelis. 12. Vel ad minus heretica, & contraxit absque dispensatione cum pacto, ut aliqua proles educeretur in fide Acatolica. Pro resolut.

QUÆR. I. Quid hîc veniat nomine criminis? & I. Crimen dirimens matrimonium est duplex, conjugicidium scilicet & adulterium; nam raptus & injustus metus quamvis sint grave scelus, qui tamen non dirimunt matrimonium in odium & pœnam delicti, sed quia minuent libertatem consensûs, ideo non dicuntur propriè impedimentum criminis.

82. 2. *Ut conjugicidium dirimat matrimonium, debet ex mutuâ conspiratione in ordine ad contrahendum matrimonium mors ipsa esse secuta.* S. Thom. Sanchez. l. 7. d. 29. Boscos. 8. concl. 5. Illf. t. 6. à n. 76. Eng. tit. 7. & ibid. Reistenfal. à num. 20.

Dicitur 1. *Ex mutua conspiratione* seu utriusque contrahentis consensu exterioriùs significato, ita ut uterque ad mortem concurreret vel Physicè v. g. confodiendo, venenum præbendo, instrumenta administrando, insidias tendendo &c. vel moraliter suadendo, mandando, animando: sola rati habitio vel gaudium de morte illata non sufficit, quia nec Physicè nec moraliter in mortem influit, cit. Doctores.

2. Dicitur 2. *In ordine ad contrahendum matrimonium*, nam si occisio fiat ex odio, vel ex intentione liberiùs fornicandi, non contrahitur impedimentum dirimens, est communis. Si conjugicidiæ adariò solùm intendant contrahere matrimonium, adhuc erit nullum. Less. in aut. V. matrim. Cas. 10. quia iura simpliciter irritant ejusmodi matrimonium, nec distinguunt inter intentionem primariam, & adariam, & adaria est vera intentio; & in dubio an adulteri conjugicidium fecerint ex intentione contrahendi, præsumitur quòd sic, quia ita communiter fit, &posito toto actu externo præsumitur internus, Sanch. Gutt. c. 105. num. 31. Bosco l. cit.

Dicitur 3. *Mors ex conspiratione secuta*, nam si mors quidem fuerit ab utroque per venenum, gladium, vel aliter tentata, si tamen non inde, sed casu, vel ab inimico illata, aut et

imperitiâ vel negligentia medici secuta fuerit, non impedit matrimonium, quia leges pœnales & odiosæ cum effectu accipiendæ sunt, Sylv. Vallens. Eng. loc. cit.

QUÆR. II. Quid circa crimen adulterii ?

1. Ut adulterium dirimat matrimonium, 4. debet conjungi vel cum conjugicidio, ita ut saltem unus ex adulteriis conjugem occidat ex intentione cum adultero contrahendi matrimonium, vel conjungi debet cum promissione matrimonii de futuro contrahendi, vel cum tenamine quo de presenti actualiter, quamvis nulliter, contrahere conantur, etiam absque Parocho & testibus, vivente legitimo conjuge; sive illa promissio, vel copulatio facta sit ante, sive post adulterium Illung. num. 83. Krimer num. 1006. c. 1. c. veniens c. cum habet c. fin. de eo qui. Ideoque adulterium se solo non sufficit ad hoc impedimentum inducendum, neque sufficit sola promissio, nec solum conjugicidium ab unâ parte patratum absque adulterio c. significasti. c. fin. cit.

2. Debet adulterium esse consummatum per 5. copulam perfectam cum effusione & receptione seminis intrâ vas naturale. Item debet esse formale, ita ut uterque adulter sciat alterum esse conjugatum d. c. 1. Sylv. Palao Laym. hic nu. 2. Reiff. num. 11.

3. Adulterium, & promissio matrimonii debent fieri sub eodem conjugio, hinc si Titius vivente suâ uxore promittat matrimonium Mæviæ mortuâ autem uxore ducat Cajam, & adulteretur cum Mæviâ, & non incurrit impedimentum cum Mæviâ, Laym. n. 4. Pyrrh. n. 14. Eng. n. 9. Krimer n. 993.

6. 4. Promissio etiam conjuncta cum adulterio debet esse vera non ficta, quia pœnalia strictè interpretanda sunt, non tamen necessaria est repromissio. *Sot. Lopez. Pont. c. 45. num. 2. Reiffenstul. n. 17.* quia Canones hìc solius promissionis, non autem repromissionis meminerunt, et si oppositum quod tenent *Henriquez. Laym. num. 4.* etiam sit probabile, quia videtur requiri talis promissio, qualis requiritur ad vera sponsalia, vel matrimonium de præsenti, quæ utique debet esse reciproca.
7. 5. Necessè est, ut promissio ab altera parte per signum aliquod externum fuerit acceptata, sola enim interna acceptatio, vel taciturnitas hìc non sufficit, tum quòd jura non soleant actu merè interno pœnam statuere, tum etiam quòd tacens in dubio non censeatur consentire in sui præjudicium, *Engel n. 9. Bosco n. 128. Schmalz. n. 21.*
8. 6. Promissio conditionata, cujus conditio non est impleta ante mortem conjugis, non inducit impedimentum criminis, etiamsi sit conjuncta cum adulterio, quia conditionata promissio nondum purificata in odiosis non venit nomine promissionis *Hurt. Laym. l. cit. Sporer num. 109.* unde etiam non videtur sufficere, si adulter dicat: non ducam aliam, quàm te, quia sic se non obligat determinatè ad Matrimonium sed solùm ad Matrimonium cum hâc, casu quo velit nubere, quod sibi relinquit liberum; minùs inducitur impedimentum, si unus dicat: si non essem conjugatus, te ducerem, *Sanch. num. 16.* quia hæc verba non continent promissionem, sed nudam velleitatem.

7. Congrediens cum muliere, cujus Matrimonium est probabiliter invalidum, in conscientia quidem admittit adulterium, non tamen in ordine ad pœnam, quamvis simul promittat Matrimonium, quia lex pœnalis est strictè accipienda de adulterio certò tali.

8. Impedimentum criminis etiam incurritur ab ignorante hanc pœnam crimini esse annexam, est communissima contra paucos, quos novissimè sequitur, & multis propugnat *Krimer l. 4. tit. 7. l. 5. tit. 7. à num. 729.* Ratio est, quia impedimentum hoc non est tam pœna peccati præteriti, quàm mera inhabilitas statuta ad tollendam occasionem captandæ mortis conjugum intuitu futuri Matrimonii cum adultero, cujus spem hoc impedimentum omninò præscindit; neque obstat, quòd censuræ non incurrantur ab ignorantibus, nam censuræ requirunt contumaciam, contumaces non sunt, qui non peccant contra legem cognitam ut pœnalem, vide *Cas. 113.*

QUÆR. III. Quid de impedimento disparis cultûs.

R. *Cultûs disparitas* est diversitas religionis quæ inter baptizatum & non baptizatum reddit Matrimonium nullum, ut certum est non tam ex jure scripto, quàm ex traditione, & perpetuâ Ecclesiæ praxi, *Sanchez. l. 7. d. 71.* Econtra diversitas cultûs inter baptizatos, Catholicum v. g. & A catholicam, vel contra, non irritat Matrimonium, communis cum *S. Thom. in 4. dist. 39. qu. un. art. 1. ad 5.* tum quia uterque est baptizatus, & non constat de lege irritante, tum quia sic

I

ha-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. IV.

habet consuetudo & Ecclesiæ praxis, quæ ejusmodi conjuges non separat: attamen tale Matrimonium per se est illicitum, tum quia Catholicus communicat cum hæretico in rebus sacris, tum quia ministrat Sacramentum indigno, tum ob periculum perversionis suæ, & prolium, *Dixi, per se*; nam per accidens potest hujusmodi Matrimonium fieri licitum maximè in iis locis, in quibus hæretici vivunt permixti cum Catholicis, nam ibidem hæretici sunt tolerati, idèque cum iis ex causâ communicare licet, & quamvis fortè sint indigni, tamen Sacramentum Matrimonii non minùs, quàm Eucharistia ex gravi causa ministrari potest indigno. Ut autem Matrimonium cum hæretico licitè contrahatur, necesse est concurrere hæc tria.

1. Ut absit scandalum, & periculum perversionis tam suæ, quàm prolium, unde illa pacta quibus convenitur, ut aliqua pars prolium sequatur hæresin, vel saltem ad tempus in ea instruatur, & educetur, sunt prorsus impia & irrita, ut potè de re intrinsecè malâ, *Peretz. d. 36. s. 2. Illuz. n. 88. Sporer num. 120.* & talis conditio si apponatur in ipso contractu Matrimonii, reddit eum irritum, quia repugnat bono prolium, quam parentes ex jure naturæ & divino tenentur educare in vera religione, cui obligationi renunciare non possunt *Schmier c. 5. n. 57.* patet ex dictis *Cas. 105. n. 16.*

2. Ut adsit rationabilis causa taliter contrahendi, qualis est, si hæreticus seriò promittat conversionem, vel tale Matrimonium sit necessarium ad conservandam pacem inter magnas familias &c.

3. Ut petatur dispensatio à Papâ, vel si ita loci consuetudo habeat, ab Episcopo; quia tamen hæc omnia rarò concurrunt, & plerumque adest periculum scandali, rixarum, perversionis prolium aut alterius mali, ideo hæc connubia non nisi in raro casu esse licita etiam in locis mixtæ religionis meritò docent *March. Laym. Gobat, Schmier num. 61.* Quod à potiori tenent de sponsalibus, quæ obinde plerumque illicita sunt, & irrita, ideoque à Confessariis, omninò dissuadenda.

C A S U S C I X.

De vi, ligamine, publicâ honestate, & defectu Ætatis,

Xantus Parochus interrogatur 1. An pro foro conscientia valeat Matrimonium juramento firmatum, sed metu extortum, & quis sit hic metus gravis, 2. An sufficiat levis vel reverentialis, 3. An metus justus, 4. An incussus à causa naturali, quid si Medicus dicat, nolo te curare, nolo dare eleemosynam, nisi ducas meam filiam, 5. Quid si metus non sit incussus in ordine ad Matrimonium, vel tantum ad Matrimonium in genere, & an revalidetur per copulam, vel cohabitationem, 6. An coactus ad Matrimonium metu mortis, possit admittere copulam, 7. Qualiter metus probari debeat. 8. An ipse cogens possit resilire. 9. An metus annullat Matrimonium de jure nature.

12

10. Quid

10. *Quid de contrahente cum ligamine.* 11. *An requiratur certitudo de morte conjugis.* 12. *Unde hac desumenda.* 13. *Quid de publica honestate ex sponsalibus.* 14. *Ex Matrimonio rato.* 15. *Si Cajus sponsalia contrahat cum Cajâ & ejus sorore, quam tenebitur ducere?* 16. *Quid si sic contraxit sub conditione.* 17. *Quid si Cajus resiliat ob votum Cajæ, an hæc possit ducere Caji fratrem: quid si Cajæ fuerit fornicata cum Cajo.* 18. *Quid si cum Cajo contraxerit sponsalia ex metu.* 19. *Quid si sic contraxerit Matrimonium.* 20. *An sponsalia, vel Matrimonia impuberum causent publicam honestatem, an Matrimonium clandestinum, an sponsalia ficta, non mutua, sub veniali obligantia, &c.* 21. *Qua aetas requiratur ad Matrimonium.* 22. *Qualiter debeat completa, an in eâ dispensare possit Episcopus, an peccent ante aetatem contrahentes &c.* Pro resol.

I. QUÆR. I. *Quid circa impedimentum vis?*
 R. Ad hoc impedimentum reducitur, quidquid impedit libertatem matrimonii. Est autem libertas duplex, imò Physica, quæ impeditur per absolutam necessitatem agendi vel non agendi: ex hoc capite invalidè contrahunt amentes, Ebrii, &c. de quibus nulla est difficultas. 2dò Moralis, quæ impeditur per vim & metum: vim autem & metum irritare matrimonium, manifestum est ex jure Canonico. c. 14. 15. 28. de Spons. idque non tantum in foro externo, sed etiam pro foro conscientiae, etiam si sit juramento firmatum. Est communis, & certa ex c. 2. de eo qui dicitur. Sanchez. l. 4. d. 20. num. 12. Kugler à num. 644. Debet autem esse gravis, & injustus, sive à contrahente, sive à tertio in ordine ad Matrimonium incussus, est generalis regula, quæ indiget explanatione, igitur

1. Debet metus esse *gravis* vel absolute, & secundum se, qui capax sit movere virum aliàs constantem, ut metus mortis, mutilationis, diuturni carceris, servitutis, gravis & diuturnæ indignationis parentum, notabilis jacturæ famæ, vel bonorum fortunæ, privationis officii, sive illa sibi, sive proximè conjunctis timeantur, *Avers. l. 3. Sperel. decis. 79. n. 74.* vel debet esse gravis respectivè ad personam, cui incutitur, nam sæpe metus, qui respectu unius personæ valde meticulosa v. g. puellæ est gravis, respectu viri cordati est levis: Metus simpliciter levis non irritat Matrimonium *c. veniens 15. despons.* quia non notabiliter minuit libertatem, & facilè repelli potest; idem probabiliùs tenet de metu reverentiali, quo liberi vel subditi ideò contrahunt, quia ob reverentiam parentum, vel Dominorum non sunt ausi contradicere; nisi accedant alia adminicula, importunæ preces, minæ, aut, ut vult *Engel*, si modesta contradictio nihil juverit, ut fieri assollet, tunc non tantùm in foro interno, sed etiam externo Matrimonium (idem est de professione religiosâ) pro irritato habetur. *Pignat. Tom. 7. consult. 77.*

2. Metus debet esse injustus, nam justus non vitiat contractum, ut si Judex minetur stupratori excommunicationem, vel mulctam, vel pater accusationem, nisi ducat filiam defloratam; aut si Judex justè condemnato dicat, aut morere, aut duc filiam carnificis, quia metus est justus: aliud foret, si pater minaretur stupratorem occidere, nisi stupratam ducat, talis enim metus foret injustus, quia pater non habet jus occidendi.

4. 3. Metus debet esse incussus à causa libera, id est, ab homine, nam si ab intrinseco v.g. morbo, vel à causâ naturali proveniat, ut timor mortis, incendii; infamiæ, jacturæ bonorum, & ex eo metu percussus quis contrahat, validè contrahit, communis. *Ratio est.* quia talis metus non est injuriosus, nec est ab alio incussus, sed ab ipso metuente conceptus. E contra injustè incussus, sive à contrahente, sive à tertio, invalidat Matrimonium, quia æqualiter minuit voluntarium, ut si quis renuat solvere debitum, vel desistere ab injusto processu, nisi ducas ejus filiam, metus erit injustus & irritans matrimonium; idem docent *Avers. La Croix num. 648.* si Medicus, qui solus posset mederi, nollet tibi mederi, nisi duceres ejus filiam, quia ille metus non solum est ab intrinseco, seu ex ipso morbo, sed simul ex denegata medicina, idque in ordine ad matrimonium; sed æque probabile videtur oppositum, nam medicus potest justè exigere stipendium laboris, vel ejus loco matrimonium, & sicut valebit matrimonium, si Advocatus dicat viduæ evincam tibi gratis hanc litem, eâ conditione, ut mihi nubas, quia conditio est honesta, ita non minus valere videtur, si medicus dicat, nolo te curare aliâ conditione, quàm ut ducas meam filiam, & in dubio standum est pro valore matrimonii. Simile est, si tibi incarcerato dicat custos; dimittam te, si ducas meam filiam; item si puella in aquis periclitanti & tuam opem imploranti, neget succurrere, nisi tibi nubat, Ratio est quia in his & similibus nullus metus injustè incutitur, sed ad summum negatur aliqui ex charitate debitum.

4. Metus debet esse incussus ad extorquendum Matrimonium, est communis contra *Veracruz, Schmier, Schmaltz*: Ratio est, quia aliàs non ab ipso exigitur Matrimonium, sed ipse illud spontè eligit, ut evadat aliud malum, & Jura *cap. cum veniens, cap. cum locum de spons.* loquuntur de solo metu in ordine ad matrimonium incusso, hinc si Titius ex odio tibi intentet mortem, vel te iniquâ lite divexet, & tu ad eum placandum ducas ejus filiam, valet matrimonium. Similiter valet, si tertius tibi promittat placare Titium eâ conditione, ut ducas ejus filiam: Ratio est, quia non tenetur operam suam interponere gratis, & tu liberè illam conditionem acceptas. Si injusto metu cogaris in genere ad nubendum, vel adducendam indefinitè unam ex pluribus filiabus Caji, plures dicunt valere matrimonium, quia manet libertas quoad personam: At rectiùs contradicunt *Sanchez, Peretz, La Croix num. 659.* quia etiam status Matrimonii secundùm se debet esse homini liber; si metu coactus, metu cessante, liberè, & sciens invaliditatem Matrimonii. consensum renovet, vel affectu conjugali sponsæ cohabitaret, aut eo affectu copulam exercent, probabiliùs revalidatur Matrimonium; quia nihil defuit, nisi consensus, qui sic redintegratur. *Sanchez, Vallens. §. 8. Pyrrh. de Spons. num. 123. Reiff. tit. 1. num. 333. Sperell. decis. 80.* & si tales per decennium cohabitaverint, præsumuntur affectu conjugali cohabitâsse, & Matrimonium ratificâsse *Pyrrh. num. 113.* Vid. tamen quæ dicam *Casu CXL. num. 2.* Si metu mortis coactus ad Matrimonium etiam sic cogatur ad copulam, plerique dicunt non posse consentire,

tire, sed potius debere perferre mortem, quam habere copulam, quia Matrimonium est invalidum, ideoque copula erit fornicaria & intrinsecè mala: econtrà alii probabiliter affirmant eum posse consentire in copulam, & per copulam etiam stante metu validari Matrimonium, quia in tali casu, quo metum patiens, vel mori deberet, vel peccare mortaliter, censetur Ecclesia permittere, ut cedat juri suo, & validè consentiat, si velit, dispositio enim illa facta est in favorem patientis vim, *Et quod in favorem alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Reg. 6. in 6.

7. 5. Metus non præsumitur, quia est aliquid facti, sed ab allegante concludenter est probandus, sufficiunt tamen duo testes de metu inculso, quibus ob libertatem Matrimonii plus creditur, quam mille de libero consensu testantibus *Sperell. decis. 79. à n. 1. Schmaltz. n. 429.*
6. Illum, qui metu injusto extorsit Matrimonium, non posse resilire docent *Nav. Syn. Konig. Avers. q. 4. s. 2. Schamb. de sponsal. num. 160,* quia jura tantum favent injuriam passo, ita ut hic solus resilire possit: quod de aliis contrahentibus dixi *Casu 49. num. 8.* Econtrà *Laym. Peretz, Hurth. Sanchez. l. 4. d. 15. num. 5. Kogler num. 653. Wiest. de spons. 254.* rectius docent posse resilire, quia Matrimonium est reipsa nullum: excipe, nisi aliud damnum securum sit, quod non possit reparari, nisi per Matrimonium v. g. imprægnatio sponsæ; tunc enim sponsus, qui eam coëgit, teneretur consensum renovare.

7. Quòd metus annullat Matrimonium de ju-

re naturæ, probabiliter docent *Scot. Covar. Pont. Barb. Onnate. Sperell. decis. 6. num. 3. Haun. Krimmer num. 434. Schmier. c. 4. num. 54.* rationem dant, quia repugnat rectæ rationi, ut quis ex injuriâ acquirat jus, & injuria per vim illata ex jure naturæ debet reparari, hoc autem aliter fieri non potest, quàm si Matrimonium ab initio sit nullum, & coactus remaneat in statu libertatis: Econtra metum ex solo jure Ecclesiastico Matrimonium dirimere, probabilius docent *Sylv. Navarr. Sot. Peretz. Sanchez. d. 14. Gonet. d. 4. num. 77. Avers. q. 4. Wiest. num. 242. Kugler num. 624. Schmalzgrub. num. 406.* Ratio est, quia tale Matrimonium nec est irritum jure naturæ ratione injuriæ, nam etiam metus levis est injuriosus, & causat æquale damnum, & obligat ad æqualem restitutionem, idem est de metu gravi ad alium finem incussio, item de dolo circa accidens v. g. nobilitatem, divitias &c. quæ certò gravem causent injuriam, & tamen non irritant matrimonium; nec metus irritat ratione involuntarii, quia non magis libertatem minuit metus injustus, quàm justus, aut à causa naturali incussus; atqui metus justus & naturalis nõ vitiat matrimonium, ergo nec injustus: *Confirm.* ad baptismum etiam requiritur liber consensus, & tamen valet susceptus ex metu, idem est de juramento, ergo spectato jure naturæ etiam valebit Matrimonium metu extortum: *Ad Argument. Adv. R.* Jus non acquiri directè ex injuriâ, sed ex contractu valido, sicut si Mævius contra prima Sponsalia, quæ habet cum Titia, ducat Cajam, acquirit jus in corpus Cajæ non ratione injuriæ, quam facit Titia, sed ratione Matrimonii validè contracti cum Caja, nec opus est

injuriam semper reparari in eodem genere, aliàs
Matrimonium Mævii deberet annullari, Vide
Casus 49. num. 8.

10. QUÆR. II. Quid de impedimento ligami-
nis ?

R. I. *Ligamen* est vinculum Matrimonii rati,
vel consummati cum conjugē adhuc vivente, quod
in lege nova jure divino dirimit Matrimonium
cum quâcunque aliâ persona, ut constat ex
Matt. 19. Marc. 10. & Trid. sess. 14. Can. 2. ubi
sic habet: *Si quis dixerit licere Christianis
plures simul habere uxores, & hoc nullâ lege
divinâ esse prohibitum; anathema sit.* adeo ut
nunc polygamia, seu pluralitas Uxorū, à
potiori virorū, nec consuetudine introduci,
nec ex dispensatione Papæ concedi possit,
Omnes cum S. Thom. *d. 33. q. 1. art. 2.* &
qui vivente Uxore attentat Matrimonium cum
alia, incurrit pœnam infamiæ, imò in Germaniâ
pœnam capitis ex constitutione Carol. V. *art. 121.*
& qui secundam duxit etiam bonâ fide, si ex post
resciat vivere primam, tenetur ad eam redire, si
dubitet, tenetur inquirere, si veritatem repe-
rire non possit, potest petere, & reddere de-
bitum, si bonâ fide secundum Matrimonium
iniit, quia est possessor bonæ fidei, cui debe-
tur fructus Matrimonii, qui est petitio debiti;
si malâ fide, potest solum reddere, si uterque
malâ fide contraxit, neuter debitum petere aut
reddere potest, quia neuter est possessor bonæ fi-
dei, & lex non fornicandi est certa. *Sanchez. l. 2.
d. 42. n. 8.*

11. 2. Ut Matrimonium de novo licitè contrahi
possit, requiritur certitudo moralis de morte
prioris conjugis. *c. cum in presentia de spon. Sotus
Angl.*

Angl. Tann. Couv. Sanchez. d. 46. num. 6. Sporer num. 50. Ratio est, quia agitur de gravi præjudicio conjugis absentis, de periculo multiplicis peccati, & de valore Sacramenti; hæc certitudo ad minùs debet esse talis, ut contrarium nullo modo sit probabile; hinc per se non sufficit, quòd conjux superstes juret, conjugem esse mortuum, & à se sepultum, nec sufficit qualiscunque diuturna absentia, quamvis enim hæc magnam faciat præsumptionem, si conjuges se amaverint, & pacificè convixerint: nam si tunc absens adhuc viveret, utique vel compareret, vel nuntium mitteret; at tamen nondum adest certitudo, quam requirunt Pontifices; similiter nec sufficit unus testis omni exceptione major, nisi concurrant alia adminicula, conjecturæ, præsumptiones &c. ita ut testis ex modo deponendi, aliisque circumstantiis certò credatur verum deponere. Palao Avers. Couv. Pyrrh. à num. 133. quia in jure vox unius est vox nullius l. jurisjurandi 9. cod. de testibus.

3. In praxi ubi non habetur sufficiens certitudo 12. necessarium est, ut Parochus rem deferat ad Ordinarium, qui tanquam Judex pro foro externo secundas nuptias permittere non poterit, nisi mors primæ conjugis plenè probetur, ad quod sufficit. 1. Liber Parochi, qui aliquem inter mortuos adscripsit, & ita habere praxin totius Ecclesiæ testatur Avers. q. 14. s. 3. 2. Testamentum mortui mandato judicis productum. 3. Communis & constans fama, si ad eam accedant alia adminicula, nempe quòd fuerit senex, valde æger, pugnàrit in acie &c. 4. Si ad famam accedat unus testis de vitu; semper tamen fama probanda est per duos testes omni exceptione ma-

majores, qui deponere debent se à fide dignis audivisse, & esse in loco publicum, & se credere rem ita esse, *Avers. l. c. La Croix num. 677.*

13. QUÆR. III. Quid de impedimento publicæ honestatis?

R. I. *Publica honestas*, seu, ut in jure vocatur, *justitia publica honestatis*, est propinquitas orta ex sponsalibus & Matrimonio rato, sive per se, sive per procuratorem contractis. Hoc impedimentum est solo jure Ecclesiastico introductum, & quidem ad similitudinem affinitatis; sicut enim ex conjunctione corporum sive legitimâ, sive fornicariâ oritur affinitas, sic ex affectione & conjunctione animorum in sponsalibus & Matrimonio rato intervenire, juxta communem hominum æstimationem nascitur singularis familiaritas & quasi affinitas, ratione cujus inhonestum videtur cum consanguinea sponsi Matrimonium contrahere, Jure antiquo hoc impedimentum inducebatur etiam ex sponsalibus invalidis usque ad 4^{um} gradum inclusive: Trident. verò *sess. 24. c. 3. de refor. matr.* id restringit ad sponsalia valida, & absoluta tantum ad primum gradum, ita ut qui sponsalia validè contraxit cum Titia, non possit sponsalia, vel Matrimonium contrahere cum ejus sorore, matre, vel filiâ, bene verò cum materterâ, nepte, consobrinâ &c. Dico: *valida & absoluta*, nam ex sponsalibus invalidis hoc impedimentum non oritur, neque ex conditionatis ante purificationem conditionem: si sponsalia semel fuerint valida, hoc impedimentum manet in perpetuum, etiam si contracta fuerint per impuberes, & unius, vel etiam utriusque consensu aut morte compar-

ris, dissoluta, quia impedimentum semel contractum non per voluntatem contrahentium, sed per solam dispensationem tollitur, & quamvis Barb. Gutt. Palao Engel. de spons. §. 6. dicant: S. Congregationem declarasse. quod ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis non maneat impedimentum honestatis; nunc tamen certum est, quod hæc Declaratio vel non sit authentica, vel sit revocata per novissimam & authenticam Declarationem Anno 1658. editam & ab Alex. VII. approbatam apud Fag. in. c. ad audientiam. de spons.

R. II. Matrimonium ratum inducit hoc impedimentum inter sponsam & contanguineos sponsi, & e contra, usque ad 4tum gradum inclusivè; idque verum est, etiamsi Matrimonium sit nullum, c. un. de spons. in 6. Vid. etiam dicenda hic num. 22.

Excipe 1. Si nullitas sit ex defectu consensûs ab intrinseco v. g. ob metum, errorem in personâ, ob revocatum à principali consensum, licet id procurator nesciat, tunc enim non inducitur hoc impedimentum. Dixi notanter: ab intrinseco, nam omne matrimonium nullum, est nullum defectu consensûs, eò quod consensus sit ipsum matrimonium, sæpe tamen consensus tantum redditur nullus ab extrinseco, scilicet à jure inhabilitante personas ad ponendum verum consensum, cum tamen de se ab intrinseco verè consentiant, nullusque reperitur defectus in illarum voluntate liberè operante.

Excipe 2. Si invaliditas Matrimonii oriatur ex impedimento publicæ honestatis; nam tunc non datur mutua vis matrimonium irritandi, exemplum

plum habes in seq. num. 15. Si Matrimonium sit nullum ex clandestinitate, eò quòd non sit contractum coram Parocho & testibus, *Sanchez, Enq. l. cit. Pyrrh. t. 14. num. 62.* adhuc dicunt non causari hoc impedimentum, quia Matrimonium clandestinum nequidem habet figuram Matrimonii, aut consensum externum coram Parocho & testibus expressum, ad rectius contradicunt *Gutt. Peretz. Pign. Dom. 4. cons. 15. num. 2.* & ita declarasse S. Congregationem testatur *Schmaltzgrub. de spons. num. 102.* quia tale Matrimonium non est irritum ex defectu consensùs, sed Parochi & testium: Dixi supra: Matrimonium *ratum*, per quod non excluditur consummatum, quia hoc etiam est verè ratum; & licet ex consummato oriatur affinitas, quæ matrimonium cum consanguineis dirimit, ideoque videatur inutile adhuc statuere impedimentum publicæ honestatis, id tamen semper non tenet; nam qui v. g. ob consanguinitatem invalidè contraxit matrimonium & consummavit, contraxit tantùm affinitatem usque ad 2. gradum, ob publicam honestatem autem impeditur usque ad 4. tum gradum. Ex dictis.

15. Resolves sequentia: 1. Si Cajus post absoluta & valida sponsalia cum Caja, contrahat cum ejus matre, sorore, vel filiâ sponsalia vel Matrimonium, nulliter contrahit, ob justitiam publicæ honestatis: & quamvis, Si matrimonium sic nulliter contraxit, videatur oriri nova honestas, hæc tamen non habet vim reciprocam dirimendi priora sponsalia, ut claret *exc. un. de sponsal. in 6. hinc Cajus adhuc tenetur ducere primam. Pyrrh. tit. 1. num. 32.*

2. Si Caja contrahat cum Cajo sub conditione 16.
in futurum pendente v.g. si parentes consenserint,
si Papa dispensaverit, & non expectatâ conditio-
ne sponsalia contrahat cum ejus fratre, tunc ex
neutris sponsalibus oritur impedimentum diri-
mens, non ex primis, quia nondum purificata est
conditio, ut supponitur, neque ex secundis, quia
sunt invalida utpote de re illicitâ, & alteri obli-
gatâ.

3. Si Cajus audiens votum castitatis Cajæ spon- 17.
sæ suæ, cedat; poterit Caja post impetratam dis-
pensationem in voto, ducere fratrem ejus, quia
priora sponsalia fuerunt invalida, utpote de re Deo
per votum promissâ.

4. Si Caja fornicata est cum Cajo, & ex post
sponsalia contrahat cum ejus fratre, primum habere
potest, quia sponsalia ob affinitatem ex fornicatione
contractam sunt nulla. Econtra si primò contraxit
sponsalia cum Cajo, & ex post fornicata est cum ejus
fratre, neutrum habere potest, non primum ob affi-
nitatem, non 2dum ob impedimentum publicæ ho-
nestatis.

5. Si Caja ex metu injusto contraxit sponsalia 18.
cum Cajo, probabiliùs non potest contrahere spon-
salia aut Matrimonium cum ejus fratre, patre, vel
filio, quia ista sponsalia non sunt actu nulla, sed so-
lùm rescindibilia, ideoque inducunt impedimen-
tum publicæ honestatis. *Nec obstat*, quòd Ma-
trimonium metu extortum juxta Trid. sit omnino
nullum: nam Trid. loquitur de solo Matrimonio,
quod in materiâ odiosâ non est extendendum ad
sponsalia.

6. Si Caja ex injusto metu, vel ex errore in per- 19.
sonâ, contraxit sed non consummavit Matrimo-
nium cum Cajo, potest ducere quemcunque ejus
con-

consanguineum, quia hoc Matrimonium est nullum defectu consensûs, & per consequens non oritur ex eo publica honestas.

20. 7. Sponsalia impuberum etsi sint suspensa & rescindibilia, tamen sunt valida, & inducunt hoc impedimentum, ut dixi *Casu 104. num. 4.* idem est si impuberes contrahant de præsentî, talis enim contractus habet vim sponsalium. *c. fin. de despons. impub. c. un. eod. in 6.* an idem teneat de Matrimonio clandestino puberum, ita ut quamvis non valeat in ratione Matrimonii, valeat tamen in ratione sponsalium, causâtque impedimentum honestatis, est incertum: negant *Gutt. Fag. Barb. Nav. Gab. Sanchez. d. 20. Kugler p. 2. num. 27. Wiest. tit. 3. num. 31. Schmaltz gr. ibid. num. 123.* ubi ex *Gall. mart.* refert Declarationem Cardinalium, quia *Trid. Sess. 24. c. 1.* talem actum omninò irritat, ergo nec retinet vim sponsalium aliàs non esset omninò irritus, ideoque testatur conformius esse prædictum econtrà affirmant probabilissimè *Covar. Ledesm. Henrig. Conig. Rebell. Laym. Avers. q. 8. s. 3. n. 132. Kriemer à num. 85.* rationem dant, quia Trident. solùm irritat Matrimonium, non verò sponsalia clandestina, ut clarum est ex textu citando *Cas. seq. num. 1.* & testatur quotidiana praxis: deinde si sic contrahant impuberes, valet Matrimonium in ratione sponsalium, *d. c. un. de despons. impub. in 6.* ubi redditur Ratio: *quia mens contrahentium censetur esse, ut si actus non valeat quoad omnia valdeat tamen quantum potest, atqui eadem censetur esse mens puberum sic contrahentium, ergo quia ratio prior sententia etiam est verè probabilis, pro praxi tenenda sunt quæ dixi suprâ *Cas. CVI. nu. 22.* ita ut, si Titius clandestinè, itaque nulliter contraxerit, sed non consummaverit matrimonium*

cum Caja, ex post verò cognitâ Matrimonii nullitate, velit ducere Bertam Cajæ sororem, probabilius non indigeat dispensatione, eò quòd sit probabilitas juris de non existentia impedimenti, ideoque certum est, Ecclesiam supplere, secundum ibi dicta.

8. Sponsalia ante annum ætatis 7. contracta non inducunt hoc impedimentum, quia sunt invalida, l. 14. ff. de spons. c. litteris c. accessit de desp. impub. similiter sponsalia ficta, non mutua, indeliberata, vel sub solo veniali obligantia, vel uni indeterminatè facta non causant publicam honestatem, quia non sunt strictè sponsalia. Vid. cas. 104. q. 1.

QUÆR. IV. Quid de impedimento ætatis 21.

1. Ad valorem Matrimonii requiruntur, & sufficiunt anni pubertatis, duodecim nempe in fœminis, quatuordecim in Masculis toto tit. impub. nisi malitia suppleat ætatem, ita ut præter discretionem etiam adsit potentia generandi, quod ex fornicatione, vel imprægnatione colligitur, tunc enim ante hos annos valeret Matrimonium, licèt non dispenseretur.

2. Anni pubertatis debent esse completi de momento ad momentum. Pont. Pign. to. 10. num. 11. Reiffenstul. num. 12. contra Brunell. Sylv. Sanchez. Schmalzgr. num. 60. qui probabiliter dicunt sufficere diem ultimum esse inchoatum ob favorem Matrimonii; sed ratio nostra est, quia jura expressè requirunt annum completum, & si possit deesse dies, cur non duo? si duo, cur non tres vel unus aut alter mensis? ut vult *Rebell.*

K

3. In

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. IV.

3. In ætate ex urgentissimâ causâ v. g. pro pace vel bono communi, dispensare potest Episcopus, præsertim si dubium sit, an ætas sit completa, vel malitia suppleat ætatem. *Covarruv. Barbof Pyrrhing. tit. 2. numer 33.* hoc ipso enim, quòd Pontifex c. 2. de *desp. impub.* permittat dispensationem, eamque sibi non reservet, censetur eam concedere Episcopis.

4. Attentantes Matrimonium ante ætatem legibus determinatam peccant mortaliter, nisi excuset causa urgentissima v. g. conciliandæ, vel conservandæ pacis. *Palu. La Croix Schmalzgruber num. 68.* contra *Sanchez. Pontius Zott,* quia *Nicolaus primus c. 2. de sponsal. impuber.* utitur verbis: *districtius prohibemus.* quòd matrimonia impuberum habeant vim sponsalium, dixi *suprà n. 20.*



C A S U S CX.

De imped. clandestinitatis, impo-
tentiae, & raptus.

YSius quarit 1. Coram quo Parocho contrahere
debeat. 2. An valeat coram Parocho invito,
vel distracto. 3. An coram Parocho originis vel
quasi domicilii. 4. An coram Parocho sponse, in-
terdicto, suspenso &c. 5. Quis hic veniat nomine
Parochi, quid de habente titulum coloratum, vel
intruso. 6. Quis de licentia Parochi assistere possit,
& an sufficiat licentia tacita vel presumpta. 7. Ge-
neralis, metu extorta, petita & acceptata per ser-
vum. 8. Dolo obtenta, & quid de habente licenti-
am contrahendi coram Parocho S. Petri & contrahit
coram Parocho S. Pauli. 9. Quid de vagis, 10.
Militibus. 11. Quid de Parochia vel Dioecesi,
ubi Trid. non est promulgatum. 12. Quid de eo,
qui exit è loco, ubi Trid. viget, ad locum, ubi non
viget, 13. Vel econtra, & quid si Trid. obliget
in Parochia sponsi, & non sponsae. 14. Quid si nullus in
loco sit Parochus, vel lateat aut tutò adiri non possit.
15. Quid de Matrimoniis hereticorum in Hollandia,
Francia &c. 16. An horum matrimonia nunc certò
valeant? quid si miles hollandus Catholicus cum
heretice contrahat in aliquà arce co-terminà
vulgo dictà Barierà vel Trajecti coram predicante sua
regionis? 17. Quid, si sic contrahat Colonia. 18.
Quid de Matrimoniis clandestinis Catholicorum in
Hollandia, vel hereticorum ibidem contrahentium
cum alio impedimento Ecclesiastico. 19. Quid de

Matrimonii hereticorum in Franciâ, Bohemiâ, Julîâ, Patriâ montensi. 20. *An Pastor Catholicus assistere vel benedicere possit Matrimonii hereticorum, vel contra.* 21. *Quid de Urbibus Augusîa, Ratisbonâ, Argentorato, aliisq; Germaniæ urbibus.* 22. *Quid de viatoribus.* 23. *Quid de impotente, Eunuchò, Thlasio, Hermaphrodito,* 24. *Sentus* 25. *Sterilibus, agrotis &c.* 26. *Quid in dubio?* 27. *Quid de impotentia,* 28. *Quid in dubio, an sit perpetua.* 29. *Quid si post separationem ex causa impotentia factam cesset impotentia.* 30. *An impotentia debeat esse antecedens, & quid in dubio.* 31. 32. *Quid de impedimento raptus? Pro resolut.*

QUÆR. I. *Quid de Matrimonio Claustrino?*

- I. B. *Matrimonium Claustrinum vocatur, quod contrahitur sine Parocho aut testibus, de quo Trid. Sess. 24. c. 1. de ref. Matrim. sic constituit: qui aliter, quàm presente Parocho vel alio sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos in prædicto decreto irritos facit & annullat: decernit insuper ut huiusmodi decretum in unâquaque Parochia firmum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ nuptiarum merandos. Sic Concilium an verò ejusdem Matrimonia valeant in vim sponsalium, Casu. preced. num. 20. igitur ut matrimonium valeat.*

1. Requiritur ad minùs duo vel tres testes , 2. sufficiunt verò quicumque impuberes , infames , religiosi , excommunicati , hæretici , infideles , aliique de cætero inhabiles , quia ex mente Trid. plus non requiritur , quàm ut sint rationis capaces , qui de Matrimonio testari possint. Debent autem non successivè , sed simul adesse cum Parocho.

2. Requiritur præsentia Parochi , & testium non solùm Physica , sed & *Moralis* , id est , talis , ut per se , vel interpretem intelligant , & actualiter advertant quid agatur , aliàs enim non poterunt testari ; non tamen requiritur , ut adsint rogati , vel voluntariè , sed sufficit adesse invitos , idque *Kugler hic num. 1012.* dicit esse certum , & *Gonett. c. 4. q. 10* pro hoc adducit Declarationem Cardinalium.

3. Requiritur assistentia proprii Parochi : proprius autem Parochus dicitur , in cujus Parochiâ³⁰ vel ambo contrahentes , vel unus saltem habet domicilium vel quasi domicilium : si ibidem habitas cum animo perpetuè manendi , habes verum domicilium , si cum animo tantùm permanendi ad majorem partem anni , ut famuli , studiosi &c. habes quasi domicilium , idque primo statim die ; utrumque sufficit ad acquirendum jus Parochiæ in ordine ad Matrimonium. *Sanchez. l. 3. d. 13. Kugler num. 299. Reifsenstul. à num. 60.* non verò sufficit locus originis , *Pont. Bosco d. 11. num. 400. Pign. tom. 5. conf. 79.* qui tamen semel habuit domicilium in loco originis , & semper retinet animum revertendi , & ibi habitandi , retinuit domicilium habitationis , etiamsi pluribus annis abfuerit , & alibi habeat quasi domicilium , ita

ut in utroque loco copulari possit, quia non amittitur domicilium, dum quis discedit animo revertendi. *Pign. tom. 7. consult. 63* pro hoc citans decisionem Rotæ; similiter habitans æqualiter vel quasi æqualiter in duplici Parochiâ v. g. hyeme in unâ, æstate in alterâ, in utralibet copulari potest. *Sanchez, d. 24. num. 2.* Principes copulari non possunt in omnibus locis sibi subditis, sed tantùm à Parocho palatii, in quo ordinariè resident. *La Croix p. 3. nu. 724. Koni. hic num. 13.*

4. Sufficit, ut assistat alteruter sive Parochus sponsi, sive sponsæ, sive existat in suâ Ecclesiâ, vel Diœcesi, sive extrâ, sive Sacerdos sive Diaconus, irregularis, suspensus, interdictus, excommunicatus, *Nav. Sanch. num. 4. Boscol. cit.* quia talis manet verus Parochus, & assistere Matrimonio non est actus jurisdictionis (saltem contentiosæ, sed actus testimonii qualificati: excipe Parochum depositum, qui non manet Parochus, hinc non potest ampliùs assistere.

5. Nomine Parochi hîc veniunt Papa, nuntii pro suâ Provinciâ, Episcopus & ejus Vicarius, & omnis Sacerdos habens titulum Parochiæ saltem coloratum seu laborantem occultâ nullitate, ita tamen, ut adsit error communis, quo credatur verus Pastor, quia tunc (supplet Ecclesiâ vide *Casu 99. num. 5.* ubi etiam dicitur, ad jurisdictionem non sufficere solum errorem communem absque omni titulo etiam colorato, unde invalidè assistit intrusus, qui absque omni collatione vel institutione Canonica Parochiam occupat, quamvis opposita sententia (quam tenent *Dian. p. 3. t. 4. §. 3. Pontan. l. 5.*

l. 5. c. 20. Bosco num. 372. Wiest. num. 56. Pignat. tom. 6. consult. 31. à num. 14.) verè sit probabilis, quia utilitas publica non minùs videtùr exigere, ut Ecclesia in hoc, quàm in priori casu suppleat.

6. De licentia Parochi validè assistit quilibet Sa- 6.
cerdos etiam excommunicatus non toleratus, suspensus &c. Diacono autem assistentia nec licitè, nec validè committi potest juxta clara verba Trid. qui aliter, quàm presente Parocho vel alio Sacerdote de Parochi licentia &c. licentia hæc debet esse expressa verbo, signo, aut scripto, vel tacita Parocho vidente vel sciente, & cum facilè possit, non contradicente: non sufficit præsumpta de futura ratihabitione. Barb. Sanchez. Gonz. Engel hic num. 15. ita ut nequidem in casu necessitatis Confessarius ex præsumpta licentia concubinarium v. g. in articulo mortis ad legitimandam prolem validè copulare possit, nec facilè credendum est dicentibus se habere licentiam, nisi scripto, vel alio signo eam probent. Sufficit tamen licen- 7.
tia generalis administrandi totam Parochiam, vel omnia Sacramenta, idque maximè, si Pastor absens non possit per seipsum conferre Sacramenta. Barbof. Sanchez. sup. Sporer à num. 364. citans pro hoc Declarationem Cardinalium & cum talis sit delegatus ad universitatem causarum, seu ad omnes causas, poterit alterum subdelegare ad particularem causam. Krimer num. 681. Kugler 330. item sufficit licentia metu extorta, ficto animo data, revocatione, vel morte dantis sublata, dummodo fictio, revocatio, vel mors communiter ignoretur, quia tunc adest titulus coloratus, scilicet licentia saltem exte. iùs concessa, & error communis igno-
ran-

rantium hanc licentiam esse metu extortam, fictam, revocatione vel morte sublatam, Denique valet licentia petita, & acceptata per servum, etsi ad Dominum necdum pervenerit: attamen usus talis licentiæ ante habitam ejus notitiam est illicitus, quia periculum est, ne ob nondum datam fortè licentiam Matrimonium fiat invalidum;

8. similiter valet *licentia dolo obtenta*, si dolus si causa solùm impulsiva, ob quam licentia facilius non autem simpliciter data est, aut fuisset adhuc data, si dolus abfuisset, secùs, si dolus sit causa motiva, cessante enim motivo cessat consensus; qui obtinuit, ut possit inire coram Parocho S. Petri, si ineat coram Parocho S. Pauli, assistentia erit valida, si designatio Parochi S. Petri facta est in gratiam petentis, nam tunc est tacita licentia, ut etiam alium adeat, secùs, si designatio facta est ex speciali causa, ita ut non misisset ad alium. *La Croix num. 735.* Copulans alienos sine licentia Parochi, incurrit ipso facto suspensionem, usque dum ab Ordinario proprii Parochi absolvatur, à quâ tamen suspensione excusat ignorantia etiam crassa, quia Trident. loquitur de illis, qui præsumperint, aut aufererint. Vid. *Cas. 113.*

9. 7. Matrimonio *Vagorum* (id est talium, qui nullibi domicilium habent) juxta *Sanch. d. 21. num. 11.* validè potest assistere quilibet Parochus, idque *Pyrrh. hic num 13. Wiest. num. 50* dicit esse probabile: at probabiliùs vagis assistere debet Parochus loci, in quo actu hospitantur. *Peru. Dicast. Vallens. hic num 12. Zoef. ibid. n. 11. Kogler n. 304.* Ratio est, quia vagi debent habere proprium Parochum, sed congruentior assignatio non potest quàm Parochus loci, in quo actu

accedunt plures Declarationes Cardinalium, de
 quibus testatur Pont. l. 5. c. 14. sufficit autem
 alterutrum, sponsum vel sponsam esse vagum.
Gutt. La Croix n. 750. Schmier. c. 5. n. 104.
 quod *Reiffenst. n. 90.* & plures apud ipsum, ex-
 tendunt ad sponfos, qui eâ intentione & animo,
 ut citius & certius copulentur, domicilium, quod
 habent, deserunt, dummodo vero & non ficto
 animo illud deserant, & ad aliud brevi se con-
 ferre non intendant. Ratio est, quia hujusmodi
 sponsi verè sunt vagi; & dimittendo suum domi-
 cilium utuntur suo jure, idèdque fraudem non
 committunt. Inter vagos computantur milites,
 quia non possunt habere animum habitandi in loco
 certo, cum debeant continuò esse parati ad mi-
 grandum quocunque officialis jussit, idèdque
 semper contrahere poterunt coram Parocho loci,
 ubi hospitantur, etiamsi habeant Capellanum
 campestrum; quia huic non datur facultas pri-
 vativè, sed cumulativè cum Parocho loci, ut res-
 pondit *S. Congreg. 29. Maji 1683.* apud *Schmalz.*
num. 167. imò Curio, seu Capellanus campe-
 stris, ut validè assistat, debet habere specialem
 ad id facultatem, vel à Papâ, vel ab Episcopo
 loci, ut certum est ex Decreto *S. Congreg. de 29.*
Jan. 1707. apud *Reiffenst. n. 97.* & quidem si
 facultas Papæ tantum sonet pro castris, non pos-
 sunt assistere in præsidiis, & facultas concessa ab
 Episcopo non extendit se ultra ejus Dioccesin, quia
 plus non potest concedere, quam ipse habet,
 de militibus Hollandorum seu fœderati-Bel-
 gii nunc certum est ex declaratione Bene-
 dicti XIV. (quam dabo infra n. 15.) vale-
 re eorum matrimonia coram prædicante cam-
 pestri, modo unus vel uterque sit A catholicus.

Dixi, validè : nam ut quis Matrimonii vago-
rum licitè assistat, juxta Trid. c. 7. requiritur
diligens inquisitio super impedimentis, & licen-
tia Ordinarii, idque sub pœnâ suspensionis præ-
cipit Synodus Colon. de Anno 1662. quæ etiam
circa peregrinos & advenas observanda sunt; hinc
ab iisdem juramentum exigi solet, quòd nullo
impedimento, vel alio Matrimonio ligati sint,
Pyrrh. num. 19. Eng. l.c. Schamb. num. 14.
Agenda Colon. pag. 195. præcipit peregrinos &
vagos non copulari, nisi præviâ diligenti inquisi-
tione, & re ad Ordinarium delatâ, & licentiâ in
scriptis, quæ gratis conceditur, obtentâ. Ubi
& declarat, quòd Sacerdotes sive sæculares, sive
Regulares, qui etiam cujuscunque privilegii aut
consuetudinis prætextu, alterius Parochiæ subdi-
tos sine obtentâ licentiâ conjugere attentaverint,
præter excommunicationem à Concilio Viennensi
latam & Papæ reservatam, & præter suspensionem
ipso facto incurrendam, multâ pecuniariâ puniri
debeant; quam pœnam etiam extendit ad testes &
conjuges ita nulliter copulatos. Parochos ibidem
monet, ut diligenter caveant, ne alterius Paro-
chiæ subditos conjugant, nisi dimissorialibus
literis visis, quæ & de factis denuntiationibus &
proprii Pastoris, aut Ordinarii consensu, atque
permissu, expressam mentionem contineant; quas
etiam dimissoriales, licet super denuntiationibus
dispensatum esset, Parochi ante copulationem
sponsorum, sibi exhiberi faciant, nisi earum di-
missorialium remissio in ipsa dispensatione foret
expressa. Quòd si incolas vel advenas in sua Paro-
chia habeat, de quibus, an legitimè conjuncti
sint, ambigitur, oportet eos monere, ut do-
ceant de matrimonio ritè contracto, quòd si re-
nuant;

nuant, denunciandi sunt Ordinario. Demùm Parocho incumbit habere librum, in quo conjugum & testium nomina, diem & locum matrimonii contracti describat, & apud se diligenter custodiat.

8. Ut Trid. quòad assistentiam Parochi & testium obliget, debet esse promulgatum non tantùm in Diocesi, sed etiam in Parochiâ, ut habet ipse textus; præsumitur autem ibi promulgatum, ubi aliquo tempore fuit observatum, ut declaravit S. Congregatio apud *Bosco p. 5. d. 11. f. 9.* in locis, ubi Trid. promulgatum non est (velut in Turcia, Persia, & omnibus terris infidelium, Anglia, Hibernia, Scotiâ, Dania, Prussia, Saxonia, testibus *Neusser, Reiff. Kugl. n. 289.* Poloniâ quòad majorem partem) Matrimonia sine assistentia Parochi sunt valida non tantùm quòad hæreticos & Catholicos ibi habitantes, ut certum est, sed etiam quòad peregrinos, & transeuntes, aut Mercaturæ causa ad tempus ibi subsistentes. *Barb. Sanch. d. 18. n. 27. Pirh. n. 9. Engel à n. 20. Bosco l. cit.* Ratio primæ partis est, quòd ipsum Trid. dicat: hoc suum Decretum non habere robur, nisi trigesimo die post factam in Parochia promulgationem, ubi ergo promulgatum, vel receptum non est, robur non habet. Ratio 2dæ partis est, quòd contractus sortiantur forum loci, & peregrini non obligentur legibus domesticis, ut jam diceretur.

9. Qui exit è loco, ubi Trid. viget, ad locum, ubi non viget, solo animo contrahendi Matrimonium, & non constituendi ibi domicilium, invalidè contrahit, ut declaravit Urb. VIII, in suo brevi Anno 1627. dato ad Archi-Episcopum Colon. si autem illuc se transferat animo, verum, vel

vel quasi domicilium constituendi, quamvis id studio faciat in ordine ad contrahendum clandestinè Matrimonium, validè contrahet, nec ei tunc fraus patrocinator, sed domicilium acquisitum, Sed quid de iis, qui negotiationis, aut peregrinationis causa in locum non recepti Tridentini se conferunt, aut illic conveniunt; nunquid validè ibidem Matrimonium contrahunt sine Parocho & testibus, etiamsi animum non habeant figendi ibidem verum vel quasi domicilium? *Affirm. cum Ledesma, Bosco sect. 9. Sanch. l. 3. d. 18. n. 28.* Ratio est, quòd contractus Regulariter fieri debeant secundum leges & consuetudines loci, in quo celebrantur; & declaratio Urb. VIII tantum loquitur de iis, qui solo animo contrahendi eunt ad locum, ubi Tridentinum receptum non est, non verò de iis, qui negotiorum causa illuc iverunt, & in odiosis non fit extensio ad casum non expressum.

13. 10. Qui è loco, ubi Tridentinum non obligat, exit ad locum, in quo obligat, debet ibi servare formam Trid. ideòque si velit in tali loco contrahere, debet contrahere coram proprio, id est, sui veri, vel quasi domicilii Parocho, vel saltem cum ejus licentia coram Parocho sive sponsæ: aliud est de vagis, qui nullibi domicilium, ideòque nec fixum Parochum habent. *Ratio est, quòd peregrini, quamvis regulariter non obligentur legibus locorum, per quæ transseunt, attamen tenentur saltem servare solemnitates substantiales contractuum, quia hi regulariter juxta forum loci. Pign. t. 5. consult. 79. n. 33. Pirh. n. 10. Schamb. n. 9. Schmalz. num. 101.* Unde si in Parochia sponsi Trid. sit promulgatum, non verò in Parochia sponsæ, Ma-

Matrimonium clandestinum invalidè contrahetur in Parochia sponsi, validè sed illicitè in Parochia sponsæ; quia clandestina matrimonia ab initio Ecclesiæ fuerunt prohibita ob plurima incommoda inde oriri solita, etsi tunc non fuerint invalida, *Trid. sess. 24. c. 1. de ref. mat.*

11. In locis hæreticis (ubi *Trid.* quidem fuit 14. promulgatum, sed de facto vel nullus est, vel ob metum hæreticorum latet, aut tutò adiri non potest Parochus, Episcopus, vel alius Sacerdos licentiam habens) valet Matrimonium etiam Catholicorum, sine Parocho, adhibitis tamen testibus: quia tunc Parochi præsentia est moraliter impossibilis, & est quasi non esset Parochus. Invalidum verò erit, si horum aliquis haberi possit; ita declaravit multoties S. Congregatio utpote Anno 1605. 19. Jan. & 27. Martii 1633. apud *Schmaltz. n. 116.* & recenter Anno 1676. apud *Neusser disp. 183. q. 2. Reiffenst. n. 132.* Dices: ergo ex præsumptâ licentiâ, vel per Epikeiam valebit matrimonium coram Confessario ex causa gravissima, ut si princeps in articulo mortis velit ducere concubinam ad legitimandas proles, ne Principatus deveniat ad manus A catholicas, saltem si Parochus casu absit, vel instans mors non permittat eum exspectare. R. Quamvis aliqui cum *Soto, Graff, Amic. d. 7. n. 136.* Id concedant, tamen communissima negat, quia constat ex praxi Ecclesiæ Papam in priori casu dispensare, non verò in aliis, etsi majoris sint necessitatis, & lex irritans seu præscribens formam substantialem contractibus, non patitur interpretationem seu Epikeiam.

12. Plures & graves DD. valde probabiliter 15. docent, valere Matrimonia hæreticorum sinè pro-

proprio Parocho, vel cum alio impedimento juris Ecclesiastici, v. g. affinitatis vel consanguinitatis in 3to & 4to gradu, honestatis publicæ contracta in iis locis, in quibus Trid. quidem est promulgatum, sed ob prædominantes hæreses non observatum, veluti Hollandiâ. Zelandiâ, Frisiâ, aliisque locis confœderatis, quibus iussu Philippi 2di Hispaniarum Regis Concilium Trid. fuit quidem promulgatum, sed prævalente hæresi minimè observatum. Ratio est, quod consuetudo à 100. & pluribus annis contraria videatur prævaluisse contra Legem Ecclesiæ, Ecclesiâ sciente & non contradicente; imò filios eorum, si convertantur, ad S. Ordines admittit. Vid. *Cas. 106. q. 6. totâ.* Ita scripsi ante Declarationem Ssmi D. N. Papæ Benedicti XIV. quæ cum nunc, hoc est, 4ta die Novemb. 1741. recenter emanarit super Matrimoniis Hollandiæ & confœderati Belgii, ex eâque plures casus olim controversè solvendi sint, eam hîc de verbo ad verbum inferere. operæ pretium iudicavi.

Tenor altèfatæ declarationis Ssmi D. N. Benedicti XIV. secundùm Exemplar Romæ impressum: *Edita Lovanii Anno 1742. typis Martini van Overbeke.*

„ MATRIMONIA, quæ in locis fœderatorum
 „ Ordinum Dominio in Belgio subjectis iniri lo-
 „ lent, sive inter hæreticos ex utraque parte, sive
 „ inter hæreticum ex una parte virum, & Catho-
 „ licam fœminam ex alia, aut vice versa, non
 „ servata forma à Tridentino Concilio præscripta,
 „ utrùm valida habenda sint, nec ne, diu mul-
 „ tùmque disceptatum est, animis hominum ac
 „ sententiis in diversa distractis: id quod satis
 „ uberem anxietatis ac periculorum sementem per

per multos annos subministravit, quum præsertim Episcopi, Parochi, atque illarum Regionum Missionarii, nihil certi super hac re haberent, nihil verò inconsulta sancta Sede auderent statuere ac declarare. Cum autem proximè evolutis annis in tam ancipiti gravique causa Apostolicæ Sedis iudicium vehementiùs exposceretur, urgeretque id imprimis vigilantissimus Iprensis Episcopus, dum pro debito officii sui & sua ergà B. Petri Cathedram observantia, de Ecclesiæ sibi concreditæ statu ad Romanum Pontificem referebat: ponendumque omninò esse tam prolixæ dubitationi finem, gravissimis verbis ac rationibus persuaderet; Clemens XII. id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem, quanti oportebat, æstimeret, sacre Congregationi E. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem sacra Congregatio quàm accuratissimè procedere, commissæ sibi cognitionis initium ab exquisitis aliorum quoque Belgii Episcoporum relationibus atque sententiis, quas desuper explorari fategit, petendum duxit: eodemque tempore audire voluit præstantes aliquot hujus Almæ Urbis Theologos, quibus injunxit, ut rem totam, eâ quâ decet maturitate, discuterent, suamque opinionem proferrent. At dum hæc maximè agerentur, supersedendum per aliquot menses fuit ab istiusmodi causæ expeditione, propter viduitatem, quæ intercidit Romanæ Ecclesiæ, donec ad summum Pontificatum feliciter evehctus Ssmus D. N. BENEDICTUS XIV. inter primas Regimi-

„ giminis sui curas, causæ hujus cognitionem
 „ repeti jussit à memorata S. Congregatione
 „ Concilii, quam voluit coram se haberi, ut au-
 „ ditis Eminentissimorum Patrum sententiis, ipse
 „ demum, quid hac in re tenendum foret, su-
 „ premo suo pronuntiaret oraculo. Cum igitur
 „ Congregatio præfata sub diem 13, Maji curren-
 „ tis Anni 1741. coram sanctitate sua fuerit ha-
 „ bita, idem Ssmus D. N. spacio aliquo tempo-
 „ ris ad rem secum expendendam accepto, hanc
 „ nuper declarationem & instructionem exarari
 „ præcepit, quâ veluti certâ Regulâ ac normâ
 „ omnes Belgii Antistetes, Parochi, earumque
 „ Regionum Missionarii & Vicarii Apostolici de-
 „ inceps in hujusmodi negotiis uti debeant. Primo
 „ scilicet quod attinet ad matrimonia ab Hæreti-
 „ cis inter se in locis fœderatorum Ordinum de-
 „ minio subjectis celebrata, non servatâ formâ
 „ per Tridentinum præscriptâ, licet sanctitas sua
 „ non ignoret alias in casibus quibusdam particu-
 „ laribus, & attentis tunc expositis circumstan-
 „ tiis sacram Congregationem Concilii pro eor-
 „ um invaliditate respondisse, ætque camen
 „ compertum habens, nihil adhuc generatim &
 „ universè super ejusmodi matrimoniis fuisse ab
 „ Apostolica Sede definitum, & alioquin oportere
 „ omninò, ad consulendum universis fidelibus
 „ bus in iis locis degentibus, & plura averten-
 „ da gravissima incommoda, quid generaliter de
 „ hisce matrimoniis sentiendum sit, declarare.
 „ Negotio maturè perpenso, omnibusque ratio-
 „ num momentis hinc inde sedulò libratis, decla-
 „ ravit, statuitque : *Matrimonia in dictis fœde-*
 „ *rati Belgii Provinciis inter Hæreticos usque modo*
 „ *contracta, quæque impostèrum contrahentur, et*

„ *amfi forma à Tridentino præscripta, non fuerit*
„ *in iis celebrandis servata, dummodo aliud non*
„ *obstiterit Canonicum impedimentum, pro validis*
„ *habenda esse, adeoque si contingat utrumque*
„ *conjugem ad Catholicæ Ecclesiæ sinum se reci-*
„ *pere, eorum quo antea conjugali vinculo ip-*
„ *fos omninò teneri, etiamsi mutus consensus*
„ *coram Parocho Catholico ab eis non renove-*
„ *tur; sin autem unus tantùm ex conjugibus sive*
„ *masculus, sive fœmina convertatur, neutrum*
„ *posse quàm diu alter superstes erit, ad alias nup-*
„ *tias transire. Quod verò spectat ad ea con-*
„ *jugia, quæ pariter in iisdem fœderatis Belgii*
„ *Provinciis, absque forma à Tridentino statuta*
„ *contrahuntur à Catholicis cum Hæreticis, sive*
„ *Catholicus vir Hæreticam fœminam in matri-*
„ *monium ducat, sive Catholica fœmina Hære-*
„ *tico viro nubat, dolens imprimis quàm maxi-*
„ *mè sanctitas sua, eos esse inter Catholicos quî*
„ *insano amore turpiter dementati, ab hisce*
„ *detestabilibus connubiis, quæ S. Mater Eccle-*
„ *sia perpetuò damnavit, atque interdixit, ex*
„ *animo non abhorrent, & profus abstinere*
„ *dum sibi non ducunt, laudansque magno-*
„ *pere zelum illorum antistitum, qui severiori-*
„ *bus propositis spiritualibus pœnis, Catholicos*
„ *coercere student, ne sacrilego hoc vinculo se*
„ *se Hæreticis jungant: Episcopos omnes, Vi-*
„ *carios Apostolicos, Parochos, Missionarios,*
„ *& alios quoscunque Dei, & Ecclesiæ fideles*
„ *Ministros in iis partibus degentes, seriò gravi-*
„ *terque hortatur & monet, ut Catholicos utri-*
„ *usque sexûs ab hujusmodi nuptiis in propriarum*

L

ani-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. IV.

„ animarum perniciem ineundis quantum pos-
 „ sunt, abherreant, easdemque nuptias omni
 „ meliori modo intervertere atque efficaciter
 „ impedire satagant. At si fortè aliquod hujus
 „ generis Matrimonium Tridentini formâ non
 „ servatâ ibidem contractum jam sit, aut im-
 „ posterum (quod Deus avertat) contrahi con-
 „ tingat, declarat sanctitas sua matrimonium hu-
 „ jusmodi, *alio non concurrente Canonico impedi-*
 „ *mento*, validum habendum esse, & neutrum
 „ ex conjugibus, donec alter eorum supervixerit,
 „ ullatenus posse, sub obtentu dictæ formæ non
 „ servatæ novum matrimonium inire; id verò
 „ debere sibi potissimè in animum inducere con-
 „ jugem Catholicum, sive virum sive foeminam,
 „ ut pro gravissimo scelere, quod admisit, pe-
 „ nitentiam agat, ac veniam à Deo precetur,
 „ coneturque pro viribus alterum conjugem à
 „ verâ fide deerrantem, ad gremium Catholicæ
 „ Ecclesiæ pertrahere, ejusque animam lucrari,
 „ quod porrò ad veniam de patrato crimine impe-
 „ trandum opportunissimum foret; sciens de
 „ cætero, ut mox dictum est, se istius matri-
 „ monii vinculo perpetuò ligatum iri. Ad hæc
 „ declarat sanctitas sua, ut quidquid hætenus
 „ sancitum dictumque est de matrimoniis sive ab
 „ Hæreticis inter se, sive inter Catholicos & Hæ-
 „ reticos in his locis fœderatorum Ordinum
 „ Dominio in Belgio subjectis, sancitum, dictum-
 „ que intelligatur etiam de similibus matrimoniis
 „ *extra fines Domini eorundem fœderatorum Or-*
 „ *dinum contractis ab iis, qui addicti sunt legioni-*
 „ *bus, seu militaribus copiis, qui ab iisdem fœde-*
 „ *rativis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas,*
 „ *munitionesque arces conterminas vulgò dictas de*
 „ Ba.

» *Bariera* ; ita quidem , ut Matrimonia ibi præ-
» ter Tridentini formam , sive inter Hæreticos
» utrimque , sive inter Catholicos & Hæreticos
» inita , valorem suum obtineant , dummodo
» uterque conjux ad easdem copias sive legiones
» pertineat , & hanc declarationem vult sanctitas
» sua complecti etiam *civitatem Mosæ Trajectensis*
» à *Republicâ fœderatorum Ordinum* : *quamvis*
» *non jure Domini* , sed *tantum oppignorationis* , ut
» *ajunt* , nomine *possessam* . Tandem circa con-
» jugia , quæ contrahuntur vel in Regionibus
» Principum Catholicorum , ab iis , qui in pro-
» vinciiis fœderatis domicilium habent , vel in
» fœderatis Provinciis , ab habentibus domicilium
» in Regionibus Catholicorum Principum , nihil
» sanctitas sua de novo decernendum , aut decla-
» randum esse duxit , volens , ut de iis juxta ca-
» nonica Juris communis principia , probatasque
» in similibus casibus aliàs editas à sacrâ Concilii
» Congregatione resolutiones , ubi disputatio
» contingat , decidatur ; & ita declaravit , sta-
» tuitque , ac ab omnibus imposterum servari
» præcepit . Die 4. Novembris 1741.

A. Card. Gentili S. C. Conciliis
præs.

C. A. Arch. Philippens Secret.

Ex præmissis

Deduces *seqq.* 1. Certum est nunc valere Ma- 16.
trimonia in Provinciis fœderati Belgii , id est in
Hollandiâ , Selandiâ , Frisiâ , Belgio &c. sive
Hæreticorum inter se sive Catholicorum cum Hæreticâ
coram Prædicante , sine Parocho Catholico co-
ram testibus contracta ; idem tenet de locis præ-
fidiorum sive Barrierâ , & trajecto ad Mosam mo-
do uterque conjux ad copias Ordinum fœdera-
torum

17. torum pertineat. 2. Si Legio Ordinum fœderatorum hybernetur v. g. Colonia, vel alibi extra ditionem fœderatorum, personæ militares sive uterque sive unus sit Hæreticus, probabilius Coloniae validè contrahunt coram Parocho campestri sive Prædicante, modò adsint duo testes, & uterque pertineat ad Legionem, quia talia Matrimonia in Hollandiâ & Barrierâ habentur pro validis, & Legiones Hollandicæ extra Hollandiam gaudent eodem jure vel dissimulatione Ecclesiæ, quo gauderent existentes in Patriâ, quia centeri possunt velur Parochiæ cum suo Pseudo - Parocho ambulantes; ex eadem ratione miles Hollandus A catholicus (idem est de Saxonico, Prussico &c.) ubique etiam in locis coram Prædicante Legionis suæ validè ducit Catholicam ad suam Legionem pertinentem, si verò ad Legionem suam non pertineat, Matrimonium erit invalidum, quia dissimulatio Ecclesiæ non est extendenda ultra casus receptos. *La Croix n. 736*
18. 3. Suprafata Declaratio BENEDICTI XIV, locum non habet in Hollandiâ quoad sponfos ex utràque parte Catholicos, ita ut apud omnes certum sit, hos sine Parocho proprio sive Catholico contrahere matrimonium invalidè; idem est, si contrahant cum alio impedimento dirimente. Sed quid de Hæreticis ibidem cum impedimento Ecclesiastico v. g. consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, criminis &c. Matrimonia contrahentibus? 4. Si impedimentum ab Ecclesiâ soleat dispensari, & stylus curiæ non sit contrarius, ad summum est probabile ejusmodi matrimonia valere, ideoque tunc tenenda sunt quæ dixi *Cas. CVI, n. 22. & 29.* 4. Præmissa declaratio non comprehendit loca subjecta Principi

Catholico v.g. Franciam, Bohemiam, Juliam, Patriam Montensem &c. Ideòque si ibidem Parochus Catholicus haberi possit, non videtur satis probabile, quòd valeant Matrimonia sine Parocho proprio contracta, quia ibi consuetudo contraria cum tacito consensu Superioris locum non habet, cum non tantum Ecclesia, sed & ipsi Principes Catholici sæpè reclament: estque hoc verum, etiamsi unus, vel uterque contrahentium sit hæreticus, adhuc enim contrahi debet coram Sacerdote Catholico, si haberi possit, neque valet contractum coram Magistratu vel Ministro hæretico, ut declaravit S. Congreg. 2. Maji 1676. 1677. 1696. apud Neusser d. 182. q.2. Schmaliz. n. 115.

5. Pastor Catholicus licitè assistit Matrimoniis Hæreticorum in suâ Parochiâ habitantium, absque tamen benedictione, tum quia est verus eorum Parochus, tum quia post Conc. Constant. non est prohibitum communicare cum hæreticis in sacris, aut politicis, nisi sint nominatim denunciati, neque ipse tanquam Minister confert Sacramentum indignis, sed tantum assistit tanquam testis qualificatus. *Laym. sup. n. 8.* econtra Matrimonium contrahere coram Ministro A catholicò, vel ab eo benedictionem accipere juxta *Less. in auctuario Casu 24.* videtur esse per se malum, & nequidem ad evitandam gravem pœnam permisum, quia est in facto profiteri ipsum esse verum Ecclesiæ Ministrum: comparere tamen coram Ministro vel Magistratu A catholicò ex causa merè politica, v.g. ut inscribantur tanquam veri conjuges, & proles habeantur legitimæ (quamvis adfit aliqua politica congratulatio, concio, preces vel etiam verba significantia Matrimonium)

non videtur per se malum, ideòque ex gravi causa permissum. *Less. l. c. Verjuys tr. 13. a. 7.*

Modo ante vel post illum actum coram suo Parocho Catholico & testibus Matrimonium verè contrahant, nam id ni fiat, Matrimonium illorum erit invalidum, uti & ante declarationem supra allatam, talia Matrimonia, semper & ab omnibus habita sunt invalida, ut supra insinavi, & videre est ex Relationibus Episcoporum Brugensis & Antvverpiensis ad E. E. Cardinales S. Concilii Trid, interpretes super Matrimoniis Hollandiæ &c. quæ simul cum præfata declaratione editæ sunt. Neque taliter coram prædicante aut Magistratu civili comparentes simulant Sacramentum (sicut nec is, qui ex gravi metu cum impedimento Matrimonium init, ut dixi *Cas. 88. n. 30.*) sed ex gravissimâ causâ, nempe scilicet proles nascituræ apud A catholicos habeatur pro spuris ac illegitimis, faciunt quantum possunt, quare etiam talia Matrimonia, quamdiu in facie Ecclesiæ non sunt ratificata, solum habent vim sponsalium, & probabiliùs inducunt impedimentum publicæ honestatis juxta dicta *Cas. CIX. n. 14. & 20.*

6. Probabiliùs non valent Matrimonia Catholicorum & Hæreticorum sine Parocho Catholico contracta Augustæ, Ratisbonæ, Argentorati, aliisque Urbibus Germaniæ, in quibus Catholici cum Hæreticis permixtim vivunt, quia in his Trid. est publicatum, & regimen ex parte est Catholicum, & Parochus Catholicus facile haberi potest, & declaratio BENEDICTI XIV. ad hæc loca se non extendit, uti se extendit ad incolas Trajecti ad Mosam.

7. Si quis per Saxoniam, Prussiam, vel 22.
alia loca, ubi Trid. promulgatum, vel recep-
tum non est, tanquam viator vel peregrinus
transeat, potest ibi clandestinè contrahere, quia
contractus sortitur forum loci; si verò quis tran-
seat per loca, ubi Trid. receptum est, non po-
test nequidem coram Parocho loci contrahere,
nisi sit vagus, aut ducat sponsam ibidem domi-
cilium habentem. *Ratio est*, quia cùm non in-
tendat ibi per majorem partem anni subsistere,
nullum ibi habet domicilium: econtrà si habeat
animum ibi per majorem partem subsistendi, vel
sit vagus, statim primâ horâ coram Parocho loci
contrahere potest. Vide dicta *hic supra n. 12.*
& 13.

8. Si qui habitent in Parochiâ plânè Acathe-
licâ, & soleant accipere alia Sacramenta à Pa-
rocho Vicario, etiam debent coram illo con-
trahere Matrimonium, quia censetur proprius
ipsorum Parochus, cui in factò se subjecerunt.

9. Si unus sponsorum sit Catholicus, & pro
contrahendo, vel renovando Matrimonio non
ausit adire Parochum Catholicum, eò quòd sit
periculum, ne ipse aut Parochus prodatur, ca-
piatur carcere, vel bonis mulctetur, non est
opus, ut assistat Parochus Catholicus, quia non
est tutus ad eum accessus, ideòque valet tunc
Matrimonium sine Parochi Catholici assistentiâ,
modò duo vel tres testes adsint, prout dixi *sup.*
num. 14.

QUÆR. II. Quid de impedimento impoten- 23.
tiæ? *Et*, impotentia dirimens Matrimonium est
perpetua physica & antecedens incapacitas exer-
cendi copulam carnalem de se aptam ad gene-
rationem: hæc non tantùm jure Ecclesiastico

tit. de frig. & Malef. sed & jure naturali dirimit Matrimonium, quia de essentia matrimonii est traditio corporum de se aptorum ad generationem, cum jure ad copulam, ut dixi *Cas. 105. q. 1.* & inhabilis ad solvendum, est inhabilis ad promittendum.

Dicitur 1. Impotentia Physica, nam purè moralis, qualis oritur ex voto simplici, non dirimit, sed tantùm prohibet Matrimonium: ex defectu potentiaè Physicæ ad Matrimonium inhabiles sunt: Eunuchi utroque testiculo carentes ut certum est ex *Constit. 59. Sixti V.* quia carent vero semine, aliud est de spadone, qui uno tantùm caret testiculo: item de Thibio seu Thlasio, cui testiculi attriti sunt, sed non ita, quin possit perficere verum semen, quia experientiâ constat, hos esse ad generationem aptos. Hermaphroditii contrahere possunt secundùm sexum prævalentem. *l. queritur ff. de statu homin.* si neuter sexus prævaleat, datur iis optio, modò jurent manere in illo sexu, quem semel elegerunt. *Pyrrh. tit. 15. num. 3.* Senes ita debiles, ut nullâ arte ad copulam juvari possint, probabiliùs non possunt contrahere Matrimonium, quia habent impotentiam perpetuam in futurum *Nav. Sanchez. l. 7. d. 92. num. 70. Schmalz. g. tit. 15. num. 33.* si verò senes juvari possint ad copulam, certum videtur posse validè contrahere, etsi per accidens generare non possint, quia retinent totam potentiam seminativam, & ita habet praxis Ecclesie. *ex c. nuptiarum 41. caus. 27. q. 1.* Steriles validè contrahunt, ut patet in Abrahamo & Sarâ, in Zacharia & Elisabeth, quia habent verum semen etsi per accidens impediatur à suo effectu. *S. Tho. in 4. dist. 34. q. un. Sporer n. 122.* si quis ex morbo

est incapax copulæ, etsi de sanitate desperet, adhuc est capax Matrimonii etiam in articulo mortis, quia talis impotentia non est ex se perpetua *Kugler tit. 2029. Engel tit. 15. num. 4.* similiter validè contrahit mulier, etsi nequeat retinere semen intrà matricem, modò vas ejus penetrari possit, quia potest habere copulam de se aptam generationi, etsi per accidens semen effluat. Si quis probabiliter est potens, etsi non omnino 26 sit certus, adhuc licitè init Matrimonium, saltem si compartem moneat de suo dubio. *Schild. tr. 6. num. 94. d. 1. Dicast. de bap. d. 1. nu. 208.* tum quia omnimoda certitudo vix haberi potest præsertim in iis, qui diu castè vixerunt, & quilibet habet jus naturale ad Matrimonium, quamdiu non constat de incapacitate, & non datur aliud medium probandi potentiam generandi; tum quia Ecclesia separat conjuges, qui per triennium frustra tentârunt copulam, & permittit inire aliud Matrimonium, in quo sperant se posse consummare; ergo similiter licebit primò inire Matrimonium, quando est probabilis spes illud consummandi.

Dicitur 2. *Perpetua*, id est, talis, quæ mediis 27. ordinariis & licitis tolli non potest; hinc qui habet impotentiam, quæ tolli non potest, nisi per maleficium vel Miraculum, aut per medium valde difficile, & periculosum, v. g. Arctitudo sæminæ per incisionem conjunctam cum periculo vitæ, ejusmodi impotentia censetur perpetua, & moraliter incurabilis, nec mulier tenetur ejusmodi incisionem admittere, nec vir ejus eventum expectare, secùs si incisio fieri possit absque notabili periculo. *Gurr. Peretz. Wiest. tit. 15. num. 12.*

- Reiff. *ibid.* num. 67. potest autem maleficium, & arctitudo esse respectu hujus personæ, ideoque & respectu hujus dirimere Matrimonium, quamvis non sit, nec dirimat respectu alterius. In dubio, an impotentia sit perpetua, jussu judicis Ecclesiastici facienda est inspectio corporis in viro per Medicos, in fœminâ per obstetrices, & honestas Matronas: si factâ inspectione appareant signa manifesta impotentiae perpetuæ, statim separandi sunt, nec permittenda est tentatio copulæ in Matrimonio manifestè nullo; si signa sint dubia conjuges *ex c. laudabilem de frig.* habent triennium pro sumendo experimento, quo sine fructu elapso, separantur præstito præviè juramento, quod coire nequiverint, & ad novum Matrimonium transire permittuntur. At quid, si post separationem ex causa impotentiae factam cesserit impotentia? R. Si impotentia cesserit per miraculum, magiam, per scissionem periculosam vel aliud medium præter naturale, valet Matrimonium *ad c. ult. caus. 33. q. 1.* si verò impotentia cesserit modo naturali, v. g. per usum secundi Matrimonii, per scissionem non periculosam, ita ut etiam verosimiliter in primo sublata fuisset, modo conjuges debitam diligentiam adhibuissent, invalida erit separatio, & secundum Matrimonium invalidum: ideoque primum erit redintegrandum. *Text, & DD. in c. 6. de frig.* si verò mulier talis postmodum cognita fuit à viro dissimili, juniore, vel habente corpus magis proportionatum, quamvis per copulam cum ultimo reddita esset habilis etiam ad copulam cum primo, non ideo deberet reddi primo, quia ex hoc non probatur, quòd impotentia respectu primi, & alterius similis non fuerit perpetua, *Sanch. d. 9. s. 1. d. 12. La Croix n. 805.*

Dicitur 3. antecedens scilicet Matrimonium, 30.
 nam si impotentia Matrimonio jam contracto superveniat, illud non dirimit. In dubio, an impotentia sit antecedens vel consequens, *Laym. Pyrrh. num. 22. Engel num. 16.* dicunt præsumendum esse, quòd sit antecedens, quod verum est, si impotentia sit naturalis, quia qualitas, quæ ex natura rei inest, semper inesse præsumitur, præsertim si copula statim post Matrimonium contractum tentata exerceri non potuerit. Si impotentia sit ex maleficio, meritò dicit *Gobat. num. 432.* rem esse planè incertam, cùm experientiâ constet, sponso tam ante, quàm post Matrimonium à maleficis ligari; in praxi (cùm Papa in Matrimonio rato dispensare possit, ut dixi *casu 105. num. 26.*) consultum est pro ejusmodi miserè ligatis petere dispensationem: pro quâ tunc est causa sufficiens. Sed quid, si post Matrimonium fiat ad generandum impotens, v. g. per amputatos testiculos, an adhuc possit petere debitum?
 R. *Affirm.* quia talis habet jus & per accidens est, quòd non possit generare *Laym. Wiest. num. 33.* Si verò impotentia sit antecedens & perpetua, ita ut tentatâ per triennium copulâ, tolli non potuerit, his nec tactus, nec aspectus, nec oscula lasciva licita sunt, quia matrimonium inter illos est nullum; possunt tamen, si velint, cõhabitare ut frater & soror, modò absit periculum incontinentiæ, ut certum est ex *c. laudabilem 5. de frig. & malef.* quia tamen rarò abest omne periculum, meritò dissuadenda est hujusmodi cohabitatio: ut verò in eodem lecto cubent, nunquam est permittendum ob periculum evidentissimum.

QUÆR. III. Quid circa impedimentum raptûs?
 R. De hoc ita statuit Trident, sess. 24. c. 6. *Decer-*

nit S. Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse subsistere matrimonium; quod si rapta à raptore separata, ac in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumq; dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint; de proprio gradu decedant, teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive in uxorem duxerit, sive non, decenter arbitrio judicis dotare... Itaque raptus, in quantum dirimit matrimonium, est violenta abductio fœminæ in ordine ad contrahendum matrimonium.

Dicitur 1. *Abductio*, intellige non de cubiculo in cubiculum, sed in alium moraliter locum.

Dicitur 2. *violenta abductio*; sive sit violentia physica, sive moralis, quæ sit per graves minas & metum. Precestamen, blanditiæ & promissa non sufficiunt, neque probabiliùs fraus & dolus, quia tunc non est rapta, sed decepta & seducta; si abducta consentiat etiam in vitis parentibus vel tutoribus, non erit raptus Matrimonium dirimens. Sanchez. Perez. d. 38. s. 4. Gob. n. 546. Reiff. l. 4. tit. 1. n. 374. contra Henno & alios. Ratio est, quòd, licet parentes reclamant, si tamen consentiat filia, non lædatur libertas Matrimonii, quam unicè intendit Trid. si puella liberè contraxit sponsalia, & ex potestate contra voluntatem à sponso abducatur, adhuc non est impedimentum raptus, si ipsa habeat justam causam resistendi abductioni, vel resiliendi à sponsalibus, secùs, si eam non habeat; tunc enim non erit abductio propriè injuriosa. Barb. Tam. in dec. c. 6. §. 2. 32. Dicitur 3. *fœmina*, nam si vir abducatur, non incurritur impedimentum raptus, DD. cit. quia Trid.

solùm loquitur de raptu fœminæ, & in odiosis non est faciendâ extensio.

Dicitur 4. *In ordine ad contrahendum Matrimonium*, nam si fiat alio fine v. g. causâ libidinis, erit quidem raptus ad culpam, sed non impedimentum Matrimonii. *Bosco Tamb. l. c. Sporer à n. 29.* si fiat animo contrahendi Matrimonii, tam diu Matrimonium dirimit, quamdiu rapta est in potestate raptoris, idque tenet, etiamsi rapta existens in potestate raptoris, liberè consentiat; si verò à raptore jam libera, cum eo sponte contrahat, valet Matrimonium, sed raptor erit ipso facto excommunicatus & perpetuò infamis *Trid. l. cit.* si Titius rapiat fœminam pro Cajo ignorante, raptor quidem erit ipso facto excommunicatus, neuter tamen incurret impedimentum cum fœmina rapta, non raptor, quia non rapuit nomine suo, nec in ordine ad contrahendum secum Matrimonium, & constitutio *Trid.* utpote odiosa, tantùm de rapiente principali intelligenda est: neque Cajo, quia nullam causam raptus dedit, ut supponitur, quam si dedisset, utique raptum incurret.

Sporer num. 31.



CA-

C A S U S CXI.

De Modo revalidandi Matrimonium
invalidum, & De petendâ
Dispensatione.

Zachæus Parochus interrogatur. 1. Qualiter revalidari debeat Matrimonium fidei, vel ex metu contractum ex parte utrâque. 2. Vel unâ tantum. 3. Vel nullum ob affinitatem, consanguinitatem, &c. an & qualiter nullitas alteri parti debeat notificari. 4. An revalidari debeat coram Parocho, & testibus. 5. In quibus dispensare possit Papa. 6. Nuntius Apostolicus. 7. Episcopi, & quid hi possint in casibus Papalibus. 8. Quid si una pars sit Acatolica. 9. Vel sponsi spectent ad diversas Diœceses, & quid in dubio, an sit impedimentum. 10. Quid possint Episcopi, & Regulari in votis impediens Matrimonium. 11. Vel petitionem debiti. 12. Qualiter dispensatio petenda Roma. 13. Quid si dispensetur sine causâ. 14. Ad falsa narrata. 15. Quando nam & in quibus impedimentis dispensari soleat. 16. Quid de Angustia loci. 17. Paupertate aliisq; causis. 18. Quando nam causa debeat verificari. 19. Qualiter impedimenta debeant exponi. 20. Quid faciendum Confessario, qui in confessione audit adesse impedimentum. 21. Qualiter in praxi petenda dispensatio. 22. Quomodo & ad quos Romam dirigenda supplicatio. 23. Qua sit formula litterarum dispensationis, &

qua clausula in iis observanda. 24. Qualiter Confessarius dispensationem in praxi exequi debeat. Proresol.

QUÆR. I. Qualiter Matrimonium invalidè I.
contractum revalidari possit? R. 1. Certum est, quod conjux sciens Matrimonium suum invalidum non possit ullo casu, nequidem metu mortis, uti copulâ conjugali, quia talis copula foret fornicaria, adeoque intrinsecè mala: idem est de quovis opere carnali extra matrimonium illicito. quid verò dicendum sit de eo, qui metu mortis injustè cogitur ad contrahendum & consummandum Matrimonium, an videlicet peccet consentiendo in copulam, dixi *Cas. CLX. num. 6.* quid autem in dubio de valore matrimonii conjugibus aut etiam Confessario sit agendum dicam hic n. 20.

2. Si Matrimonium est invalidum defectu utriusque consensûs, eò quòd uterque fictè ex metu, vel errore substantiali consenserit, Matrimonium revalidari debet per novum utriusque partis consensum sibi invicem exterius manifestatum; ad omnem enim contractum humanum jure naturæ requiritur sensibilis utriusque partis consensus. *Omnes cum Sanchez, l. 2. d. 32. num. 15.*

3. Si tantùm ex una parte ob fictionem, vel 2.
metum defuit consensus, Matrimonium probabiliter validatur per liberam positionem ejusdem, ut venditio agri, vel religiosa professio invalida ob defectum consensûs interni ex una parte, revalidatur hoc solo consensu accedente. *S. Thom. in 4. dist. 29. art. 3. q. 2. ad 2. Nav. Man. c. 22. nu. 51. Lugo resp. moral. l. 3. d. 2. § 16. Pyrrh. de sponsal. num. 83. § ibid. Konig num. 103. Schmaltzgr. ibid.*

num. 272. Ratio est, quia consensus comparis ab initio fuit validus, utpote à persona habili positus, & perseverat virtualiter in petitione, & redditione debiti conjugalis: oportet tamen, hunc novum consensum etiam exterius comparti verbo, vel facto manifestare, eamque ad consensum pariter renovandum inducere; nam valde probabile est etiam comparis consensum ab initio fuisse nullum ob errorem in substantiâ, ut volunt *Felin. Le-desma Palao d. 2. p. 6. num. 3. Reiffenstul. in append. num. 607.* videtur enim ideo consensisse in traditionem sui corporis, quia putabat & alterum verè tradidisse suum corpus. Neque de hoc in praxi potest esse dubium, quamvis fortè prior sententia esset speculativè probabilior, quia agitur de valore contractûs & Sacramenti, & quidem in conditione ab Ecclesiâ, vel quopiam alio non supplebili.

3. 4. Si Matrimonium est nullum ob impedimentum ab Ecclesia dispensabile, v.g. affinitatis, cognationis &c. præter dispensationem in impedimento, requiritur novus consensus utriusque partis exterius manifestatus, est *communis*: Ratio est, quòd prior consensus utpote inter personas inhabiles fuerit omninò nullus, ergo postea non potest fieri validus, quamvis fortè perseveret virtualiter, *quia non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* Regul. jur. 18. in 6. debétque nullitas Matrimonii alteri parti manifestari; nam si hæc de novo quidem consentiat, sed ignara invaliditatis, consentiet ex priore errore, quo hunc maritum putat esse suum, ideòque pergit in substantiâ errare, nec hìc quidquam operatur probabilitas sententiæ oppositæ, quia agitur de valore Sacramenti, & de valore consensu

Matrimonialis, quem Ecclesia supplere non potest, & ex hac causa videtur in litteris dispensationis addi *Ut dicto conjugate certiorato de nullitate prioris consensu &c. dispenses*: ideoque non sufficit, si parti ignorantia sola vel obscura aliqua ingeratur suspicio nullitatis, sic enim consentiet denuò ex errore, quo credit prius matrimonium adhuc valere, vel saltem de eo dubitat, forsan de novo non consenturus, si certò sciret primum esse invalidum: quare nullitas ignorantia clare aperienda erit, dicendo v. g. *à Parocho audiui, matrimonia ex multis causis saepe esse invalida, & tale etiam esse nostrum; ideoq; te rogo, ut pro quietanda mea & tua conscientia, & incremento mutui amoris, me iterum in conjugem accipias, prout & ego te in conjugem accipio.* Quod si alter respondeat, *placet consentio, &c.* Res salva est; si verò petat causam nullitatis, potes vel rogare, ut ad hoc te non astringat, vel dicere, te ab initio non habuisse verum & sufficientem consensum, quod verum est, quia consensus ratione impedimenti invalidus, re ipsà non est verus & sufficiens. Quod si nec sic consensum obtineas, consultò adhibebis Parochum, Confessarium vel alium virum prudentem, qui pro re natà se interponat, ita tamen ut causa nullitatis v. g. occulta fornicatio cum consanguinea conjugis, alteri parti nequaquam innotescat. Oportet autem, ut consensus renovetur per verba de presenti, v. g. *iterum consentio, de novo tecum contrabo.* Non sufficit dicere; *vellem de novo te ducere, si nondum duxissem &c.* quia tò *vellem* non importat consensum actualem pro essentia Matrimoni requisitum *Sanch. l. 2. d. 36.*

M

n. 5.

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. IV.

num. 5. Sed quid, si conjux conjugi minetur mortem, ut vel edicat causam nullitatis, vel reddat debitum? R. Pro causâ allegare tunc potest, se ab initio non habuisse verum consensum, modo superius explicato; ideoque non posse consentire in copulam, nisi alter de novo eam exercere velit animo conjugali; quod si affirmet; revalidatur matrimonium, & sic copula admitti potest & debet; secus nec metu mortis in copulam consentire potest, utpote fornicariam & intrinsecè malam.

4. 5. Quòd si Matrimonium sit invalidum ob impedimentum publicum, vel saltem duobus aut tribus notum, ita ut in foro externo probari possit: tunc omnes fatentur, quod debeat coram Parocho & testibus impetratâ dispensatione renovari, quamvis antecederet coram Parocho, & testibus contractum fuerit; Ratio est, quia prior assistentia Parochi & testium non est sufficiens ad probandum valorem Matrimonii, cum per impedimentum publicum, vel pluribus notum, probari possit nullitas Matrimonii; ergo requiritur nova Parochi & testium præsentia; econtrâ si impedimentum sit ita occultum, ut in foro externo probari non possit, Matrimonium semel in facie Ecclesie contractum posse præviâ dispensatione, etiam occultè renovari non adhibitis de novo testibus, & Parocho, docent plerique cum *Laym. hic p. 4. c. 14. Peretz. Palao Bosco d. 12. s. 14. Sp. er nu. 44. Schmaltzg. tit. 16. num. 277. & ita declaravit Pius V. teste Navarr. hic c. 22. num. 70.* concordat Agenda Colonienf. pag. 234. Sed attendenda est formula dispensationis, quæ ordinariè præscribit ut Matrimonium revalidetur coram Parocho aut Confessario qualificato, ad quem

dispensatio dirigitur, quod indubiè observandum est, & hi melius norunt modum & praxin, qualiter conjuges ad revalidationem, citra quod causa invaliditatis comparti innotescat induci debeant: accedit quod est. Sylvius, Juvenin. & plures Belgæ doceant Parochum vel Confessarium ejus vices gerentem esse ministrum Matrimonii in quantum est Sacramentum, & persona ministri nequit suppleri ab Ecclesia.

QUÆR. II. Quinam super impedimentis Matrimonii dispensare possint? R. I. In impedimentis jure naturæ & divino (qualia sunt error, vis, ligamen &c.) nemo propriè dispensare potest: in impedimentis juris Ecclesiastici dirimentibus, per se loquendo, potest solus Papa, in prohibentibus etiam possunt Episcopi, & Legati Apostolici, excepto voto perpetuæ castitatis, & Religionis, ac sponsalibus legitimis. Dixi, per se loquendo, nam per accidens poterunt Legati & Episcopi etiam dispensare in dirimentibus, quòdusq; hoc illis ex privilegio, vel consuetudine fuerit concessum.

2. Nuntii Apostolici ex concessione S. Pontificis ordinariè habent facultatem dispensandi pro utroque foro cum pauperibus Catholicis in tertio, & quarto gradu, simplici, & mixto; item in 2do affinitatis simplici, vel etiam in primo ex copula fornicaria, si impedimentum sit occultum, & immineat scandalum, vel aliud grave malum, nec possit è S. Pœnitentiariâ dispensatio expectari, sive Matrimonium sit contrahendum, sive contractum; cum hæreticis verò conversis etiam non pauperibus, quòd Matrimonium contractum in 2do consanguinitatis gradu simplici & mixto, item in cognatione spiritali,

M 2 præ-

præterquam inter levantem & levatum, in impedimento publicæ honestatis ex sponsalibus, in impedimento criminis, neutro tamen conjugemachiante.

7. 3. Eandem ferè cum Nuntiis facultatem habent Episcopi, qui in casu necessitatis pro foro conscientie dispensare possunt in casibus Papalibus, non tantum quoad Matrimonium ex una saltem parte bonâ fide contractum, ut plerique concedunt, sed etiam quoad Matrimonium contrahendum, si concurrant hæc tria: 1. Magna & urgens necessitas, & in morâ periculum, v.g. peccati, gravis infamie, vel scandali. 2. Ut non possit adiri Papa vel delegatus valens dispensare. 3. Si impedimentum sit occultum & non publicum publicitate juris vel facti, nec sit facile publicabile, quamvis tribus vel quatuor notum sit. *Sanchez. l. 2. d. 40. Bosco. d. 12. f. 13. Barbos. de potest. Ep. alleg. 33. Sporer. num. 455. La Croix num. 838. Reiffenstul. app. num. 11. Engelst. 16. §. 3. Wiest. ibid. num. 65. Schmalgruber ibid. num. 78. & teste Cardena dissert. 21. num. 634. omnes ferè Theologi & jurisperiti: & hanc potestatem tanquam ordinariam ratione officii competentem, posse Episcopum alteri delegare, docent Sanchez. Reiff. num. 36. Krüger num. 2055. Ratio est, quod omnes leges condite sint ad bonum commune, ideoque S. Pontifex non censeatur in tali casu cum tanto animarum periculo sibi potestatem dispensandi reservare, & quamvis agatur de valore Sacramenti, tamen adhuc hinc licere usum sententie probabilis dixi Casp. 106. num. 22. & Matrimonium ex tali dispensatione initum non est probabiliter, sed certò validum, quia certum est, quod consuetudo detur*

jurisdictionem, ut constat ex c. cum contingat de foro comp. c. Romana eod. in 6. c. Romana de sent. excom. in 6. & ibi glossa; certum est etiam tum experientia, tum testimonio omnium ferè Theologorum, existere ejusmodi consuetudinem sciente, & non contradicente S. Pontifice, item certum est ex consuetudine, bonâ fide per 10. vel 40. annos continuatâ præscribi jurisdictionem dispensandi; sed certum est Episcopos eam ultra 40. annos continuâsse, ergo. Accedit quòd communis usus & consuetudo sit optima legum interpret, usus autem habet, ut Episcopus in tali lege dispense, ergo. Prædicta intellige de omnibus casibus, in quibus Papa potest & solet dispensare. Eng. n. 11. quia nullâ ratione præsumi potest, Papam concedere Episcopis, super quo ipse per S. Pœnitentiariam dispensare non solet.

4. Si una pars sit Acatolica; non potest cum 8.
eâ dispensare Episcopus vel Legatus, nequidem in 4to gradu, antequam sit actu conversa, idque tenet, etiamsi sit gravis necessitas, quia etiam in gravi necessitate Legatus & Episcopus non dispensant, nisi ex præsumpta Papæ licentia, hæc autem hic non adest, quia ipse Papa cum talibus non dispensat.

5. Si sponsi spectent ad diversas Dioceses, suffi- 9.
cit unum Episcopum dispensasse, non enim potest in uno cessare impedimentum v. g. affinitatis, quin cesset in altero: cum vagis dispensat quilibet Episcopus, cui se subjiciunt.

6. In dubio, an adsit impedimentum, Epis- 10.
copus potest declarare non esse, aut etiam ad cautelam dispensare. Garc. de benef. p. 9. c. 2. num. 10.

M 3.

7. Epis-

10. 7. Episcopi & Regulares mendicantes, & cum
iis communicantes pro foro conscientiae dis-
pensare possunt in omnibus votis Papae specialiter
non reservatis Matrimonium impediens, ve-
luti in voto non nubendi, in voto suscipiendi
S. Ordinem, voto castitatis non perpetuae, etiam
perpetuae, sed pœnali, vel conditionato, ex metu
emisso, ut dixi *cas. 71. à n. 5.*

8. Quod omnes regulares per totum orbem ex-
istentes dispensare possunt in Matrimonio ob affi-
nitatem nullo, vi Privilegii Bullati à Leone X.
concessi Augustinianis & per participationem aliis
docent plures apud *Roff. Chaising. de priv. t. 5. c. 5.*
prop. 3. his verbis: *quod cum his, qui in primo*
affinitatis gradu scienter aut ignoranter contraxerunt
(modò notorium id non fuerit, neque in iudi-
cium productum) dispensare valeant, ut de novo
contrahant, & in eodem contracto Matrimonium
permaneant prole etiam legitimatâ. vid. *Reg.*
à num. 542. quia tamen non satis constat de illo
Privilegio, & illud à pluribus negatur, agiturque
de valore Sacramenti, illud in praxi vix locum ha-
bere potest.

11. 9. Episcopi saltem ex consuetudine dispensare
possunt cum conjugibus ad petendum debitum,
sive obligatio non petendi oriatur ex incestu cum
consanguinea conjugis, sive ex voto castitatis
etiam perpetuae, modò votum non sit emissum
mutuo consensu, vel cum animo ingrediendi
Religionem, Matrimonio nondum consumma-
to, *Anchor. Præpo. Sanch. l. 8. d. 12.* idem possunt
Regulares teste *Sanchez. d. 16. num. 3.* *Veracruz*
Rodrig. Henriq. non præcisè ex vivæ vocis oraculo
à Pio V. Franciscanis concessio, quia *Greg. XV.*
& *Urban. VIII.* revocârunt omnia vivæ vocis

oracula, sed ex Privilegio, quod Eugen. IV. per Bullam concessit Benedictinis Congregationis Cassinensis anno 1436. & Declaratione Julii II. apud *Murga & Reiff. num. 71.* idque non tantum in sed etiam extra confessionem, nec ad hoc indigent speciali licentiâ sui Provincialis vel Superioris saltem vigore cit. Privilegii à Leone X. concessi. *Bardon. Ant. à S. Spiritu Celestin. Dian. p. 5. t. 13. R. 46. Sanch. n. 8.*

10. Si dispensatio non possit dari ab Episcopo 12. vel Nuntio Apostolico, debet peti Romæ pro impedimento publico in Dataria, pro occulto in Pœnitentiariâ, expediet autem illam petere mediante Nuntiaturâ, quia per eam supplicæ certius diriguntur, & efficacius proponuntur. Varias formulas petendi dispensationem exhibet *Reiff. in append. lib. 4. à num. 426. La Croix n. 928. & Agenda Colon. à pag. 212.* ex quâ in gratiam Confessariorum, qui nec citatos A. A. nec semper Agendam ad manum habent, in quantum ea ad eorum forum spectant, quomodo scilicet dispensationes pro foro interno impetrandæ & executioni mandandæ sint, subnectam in fine hujus casûs *quest. 6. 7. 8. & 9.* cum non tantum pro hâc, sed & omni aliâ diœcesi serviant, contineântque stylum novissimum. quoad cætera, quæ forum externum concernunt, Lectorem remitto ad Agendam ipsam & A. A. citatos.

QUÆR. III. Quid circa causas dispensandi? 13.

& Seqq. 1. Papa scienter dispensans sine justa causa dispensat validè, sed illicitè: habens ab eo potestatem, nec validè nec licitè: Ratio primæ partis est, quòd impedimenta Matrimonii dispensabilia sint ab ipsa Ecclesia, ergo ab Ecclesiæ capite

rolli possunt, quamvis non licitè, quia spectant ad bonum commune, quod sine justa causa lædi non potest. 2da pars etiam patet, quia Papa non concedit inferiori potestatem dispensandi, nisi ex rationabili causa.

2. Dispensatio per falsa narrata, vel reticenti-
 14. am veri circa causam finalem & motivam impetra-
 ta, est nulla & subreptitia: quia nec Papa, nec alii Superiores intendunt dispensare, nisi causâ, quæ eos movit ad dispensandum, revera subsit; dispensationes enim & rescripta habent hanc tacitam conditionem: si preces veritate nitantur. c. 2. de rescript. Dixi, circa causam finalem; nam si sola causa impulsiva sit falsa, subsistat autem motiva, adhuc valebit dispensatio, idem dicendum, si duæ causæ adæquatæ, & per se sufficientes allegatæ fuerint, & una tantum deficiat, quia utile per inutile non debet vitari. In dubio, an causa, quam tacuisti, vel falsò expressisti, sit finalis, an tantum impulsiva, præsumitur impulsiva, quia præsumendum est pro valore actûs: quænam autem sit causa motiva vel impulsiva, dixi cas. 48. n. 6.

3. Generaliter hic notandum est 1. quod quò
 15. propinquiori gradu conjuncti sunt Oratores, eò
 difficilior sit dispensatio & major requiratur causa: deinde quòd Papa ex certis causis, non tantum cum Principibus, sed etiam cum aliis præsertim nobilibus, divitibus & honestis personis, super secundo consanguinitatis, & rarius super primo concurrentis affinitatis gradu dispensare soleat.
 2. Super impedimento publicæ honestatis ex spou-
 salibus proveniente, dispensari solet pro utroque foro cum quovis, & ex quavis rationabili causa, quia est unum ex minimis. 3. super impedimento cognationis spiritualibus inter levantē, baptizantē, bap-

baptizatique parentes, seu inter tenentem in Confirmatione & confirmati parentes, solet dispensari ex qualibet causa rationabili; si autem impedimentum versetur inter baptizantem, levantem & levatum, seu tenentem & confirmatum, nunquam aut vix dispensatur etiam à Papâ: quocirca in supplicatione non sufficit in genere allegare cognationem spiritualem, sed oportet specificè rem declarare, ut pateat, an inter oratores versetur paternitas vel compaternitas spiritualis. 4. In impedimento *Criminis*, si nullam machinationem secum habeat, dispensatur pro utroque foro ex causa rationabili, si verò alteruter in mortem conjugis machinatus est, Papa pro foro externo nunquam dispensat, in foro interno seu pœnitentiariâ quidem dispensatur, si machinatio sit occulta, sed non nisi difficillimè & ex causa urgentissima.

4to Causæ verò quæ pro impetranda dispensatione cum fructu allegari possunt, sunt sequentes: 16.
Ima *Angustia loci*, si scilicet in loco Originis, ut plerique volunt, vel etiam in loco domicilii, oppido, Parochia vel pago, in quo quis habitat, non possit haberi persona alia non impedita, æqualis in nobilitate, divitiis, vel etiam ætate, in Religione, indole, moribus. *Gob. t. 9. n. 644. Krimer n. 2016.* imò *Tamb. Dian. & alii* docent adhuc esse angustiam loci, si tantum sint 4. in oppido vel viciniâ æqualis conditionis; in civitatibus tamen, quæ habent proprium Episcopum, & ultra trecenta focularia (id est, *Herdt/Seurstatt*) angustia loci locum non habet. *Corrad. in praxi dispensat. l. 7. c. 5. n. 4.* 2. *Paupertas*; pauperes autem hîc vocantur, qui quamvis aliquos census annuos, tamen non tantos habent, quin cogantur Agriculturâ, Opificio, vel
M s etiam

etiam arte liberali, ut pictoriâ, pharmacopœia &c. se familiamque suam alere, & ita habere praxin in Diœcesi Constantiensi fatetur *Gob. l. 9. n. 658.* qui etiam dicit sufficere, si unus sponsorum sit pauper; at in hoc non est audiendus, quia stylus Curix, qui vim Legis habet, est contrarius, teste *Corrad. l. 8. q. 5. n. 2.* ille etiam ex *communi* hic dicitur pauper, qui sine status sui diminutione non potest solvere taxam Romanam, imò & illi hic censentur pauperes, qui quamvis congruam habeant sustentationem, attento tamen statu, & dignitate personæ, & prolium numero, videntur indigere, quamvis alioquin sint nobiles, *Mascard. de probat. concl. 1154. n. 4.* modum probandi sponsorum paupertatem exhibet *La Croix n. 861. 3.* Est *pax & compositio* inter consanguineos vel affines, qui cum scandalo diu in lite fuerunt. 4. Est evitatio scandalii, jactura famæ aut aliorum bonorum. 5. Est conservatio illustris familiæ. 6. Proles bonâ fide suscepta. 7. Merita in Ecclesiâ. 8. Si fœmina sit superadulta, hoc est, 24. vel 30. & plurimum annorum, & hætenus non potuerit invenire sponsum paræ conditionis, nisi hunc impedimento ligatum: item quòd hic, & non alius, velit eam indotatam ducere. 9. Carentia dotis & similia, quæ causæ si non sufficiant singule, sufficient tamen plures simul sumptæ. *Sanc. l. 8. d. 19.* ad impetrandam dispensationem super voto Religionem ingrediendi, & super voto castitatis non solemni in ordine ad matrimonium in eundem, pro causa sufficiente allegatur, quòd votum ante pubertatem, aut leviter non præmissa sufficienti deliberatione editum, aut vi vel metu extortum sit, aut denique quòd vovens ex fragilitate

litate carnis, aut vehementiâ passionis versetur in periculo transgressionis; quia conveniens est, ut Ecclesia succurrat miseris, quibus votum redditum est perniciosum. Notandum autem hîc 18. est, quôd causa dispensandi tunc verificari debeat, quando actu datur dispensatio, ideòque si dispensetur in forma gratiosa, seu quæ continet gratiam factam, quæ propriè dispensatio est, debent causæ esse veræ, quando gratia fit, esto postea deficient; quando autem dispensatio expeditur in forma commissoria, seu quando non continet gratiam factam à Pontifice, sed solùm mandatum gratiæ faciendæ ab eo, cui committitur, narrata debent esse vera tempore executionis, licet tempore datæ commissionis non essent vera. *Corrad. l. 7. c. 2. n. 31. Garc. de benef. p. 6. c. 2. n. 283. Wiest. à n. 94.*

QUÆR. IV. Quomodo impedimenta exponi 19. debeant pro impetranda dispensatione? R. I. Ex stylo Curiaë Rom. de facto non tantùm exprimi debet gradus proximior, sed etiam remotior, ut sciatur, an gradus sint æquales vel inæquales, quia Pontifex dispensans in uno non dispensat in alio.

2. Debet exprimi, an Matrimonium contractum, aut consummatum sit bonâ, vel malâ fide cum certa scientia impedimenti; nam in Matrimonio ex utraque parte malâ fide contracto dispensare non potest Episcopus, & Papa rarissimè dispensat, prohibente id *Trid. Sess. 24. c. 5.*

3. Si copula illicita allegetur pro causa obtinendæ dispensationis, debet exprimi, an copula sit adhibita ad facilitandam dispensationem; ex hoc enim redditur dispensatio difficilior.

4. Ex.

4. Exprimi debet, an impedimentum sit occultum, an Matrimonium sit contractum, an contrahendum, an sit periculum vitæ, scandali, vel incontinentiæ, an consanguinitas vel affinitas sit in lineâ recta, vel transversa, an affinitas sit ex copula licita, vel illicita, an copula habita sit cum pluribus ejusdem fœminæ consanguineis; toties enim novum constituitur impedimentum, quod non tenet, si sæpius habita est cum eadem, *Gutt. Coning. Sanch. l. 8. d. 24.*

5. Exprimi debet Diœcesis originis utriusque sponsi, & non domicilii; dicitur autem Diœcesis aut locus originis, in quo tempore natiuitatis habitârunt parentes. *Krimer. à num. 2193*, error circa Diœcesin, non verò patriam aut nomen oratorum invalidat dispensationem ob notorium stylum Curix, *Sanch. Corrad. c. 5. num. 21. Schmalzg. tit. 16. n. 155.* idem est, si ponatur unum impedimentum pro alio v. g. affinitas pro consanguinitate, quia dispensatio est strictæ interpretationis, & non extenditur ultra expressis, quòd tamen circa errorem Diœcesis diximus, intelligendum est de eo casu, quo dispensatio petitur ab Ordinario, qui nec potest, nec vult cum subdito alienæ Diœcesis dispensare; nam si petitur Romæ, error circa Diœcesin non est de substantiâ dispensationis, quia Papæ omnes Diœceses subjectæ sunt.

20. QUÆR. V. Quid faciet Confessarius ex confessione audiens pœnitentem habere impedimentum dirimens? R. Si Matrimonium adhuc sit contrahendum, illud dissuadeat, vel obliget ad petendam præviè dispensationem, si justa causa subsit, aliàs enim erit incapax absolutionis impotè nolens facere, ad quod sub mortali tenetur quod

quod si non obstante tuâ monitione pœnitens coram te (suppono, quòd sis ejus Parochus) contrahere velit, teneris assistere, nisi alinode, quàm ex confessione notitiam impedimenti habeas; aliàs frangis sigillum.

2. Si Matrimonium jam sit invalidè contractum, idque pœnitens sciat vel de eo saltem dubitet, seriò monendus est, ut sub prætextu pii voti, vel itineris, aut ex consensu mutuo conjugis à copulâ & omni opere carnali abstineat, usque dum per se vel per te dispensationem impetrârît, si parere nolit, indignus erit absolutione, idem est, si pœnitens laboreat ignorantia vincibili, & ex desidia noller de impedimento ultra requirere: quòd si impedimentum sit difficulter, vel omninò non dispensabile, eò quòd alter conjux adhuc vivat, vel matrimonium ex utraque parte malâ fide sit contractum, nec separatio fieri possit sine aperto scandalo, gravissimâ infamiâ, damno prolium &c. neque cohabitare possint sine periculo incontinentiæ: hic opus hic labor est: Aliud non suppetit, quàm ut quovis possibili, sed vero prætextu separentur, aut fugâ occultâ (quæ viro fortè facilis est, fœminæ plerumque difficillima) aut ingressu religionis servatis servandis, vel divortii sub alio titulo (si adsit) procuratione sibi consulant; quòd si horum nihil succederet, & moraliter impossibilis sit separatio quòd ad habitationem ob gravissima pericula, & scandala, Confessarius procuret, ut mediante voto, vel juramento, saltem lecto, & nocturno cubiculo sint separati, vivântque ut frater & soror

3. Si pœnitens bonâ fide ignoret nullitatem Matrimonii, regulariter in sua bona fide relin-

quen-

quendus est, ut cum *communi* docet *Sporer n. 444.* quia ejusmodi monitio regulariter plius obesse, quam prodesse solet, eò quòd maritus non obstante monitione fortè sit perecturus in copula, vel maximè si conjuges sint juvenes & se multum ament, aut si malè convenient, alter alterum sit deserturus cum maximo scandalo & damno liberorum, ideòque potes & debes dissimulare, usque dum impetratâ occultè dispensatione sit spes eos ad revalidandum matrimonium inducendi. Colligitur ex *c. quia circa de consang. & affin. V. Cas. 106. n. 26.*

21. QUÆR. VI. Qualiter in praxi petenda sit dispensatio super impedimentis Matrimonii? Ad hoc servire possunt seqq.

1. Si Parochus aut Confessarius in Confessione ante vel post contractum matrimonium impedimentum dirimens occultum detegat, pro habenda dispensatione scribendum est ad S. Pœnitentiarum Romanam, aut ad Episcopum, qui eandem potestatem habet, aut ad ejus Vicarium in Spiritualibus, cui eadem potestas delegata est.

2. Sciendum est Confessario aut Parocho, quòd sacra Pœnitentiarum Romana super omnibus & solis impedimentis occultis, jure duntaxat Ecclesiastico dirimentibus vel impedientibus, ex justa causa pro foro interno possit & soleat dispensare: quòd tamen limitatur quòd impedimentum consanguinitatis, utpote super quo ante contractum matrimonium nunquam, post contractum verò in tertio, item in quarto gradu (si consanguinitas est occulta) minimè verò in primo vel secundo dispensare solet, etsi consanguinitas sit occulta; super impedi-

mento affinitatis autem etiam in primo gradu lineæ rectæ & transversæ dispensat.

3. Supplicatio ad obtinendam dispensationem pro solo foro interno fieri, & exprimenda exprimi possunt eodem modo & stylo, quo fit pro foro externo; nihilominus tamen modus ille necessarius non est, sed sufficit, si necessaria (quæ sunt ferè eadem sicut in foro externo) præsertim verò impedimentum & gradus, ipsaque dispensandi causa ad captum clarè & sufficienter sine superflua ambage exprimantur: non tamen nomen, nec cognomen Oratorum, (id est supplicantium) nec nomen Diœcesis exprimenda sunt. Si tamen dispensatio petatur ab Episcopo vel ejus Vicario, nomen Diœcesis addendum est, eò quòd Episcopus cum alterius Diœcesis subdito dispensare nequeat. Inscriptio (si supplica Romam ad S. Pœnitentiariam mittatur) fit summo Pœnitentiaro, qui est unus ex Cardinalibus S. R. E. uti videri potest ex subsequenti supplicationis formulâ, quam hic apponere utile visum fuit, juxta praxin & Stylum de facto consuetum & receptum in sacra Pœnitentiaria. Circa quem notandum, quòd si tantùm unus conjugum conscius est impedimenti ex delicto occulto, ut plerumque fit, non ambo conjuges vel sponsi in plurali, sed unus in singulari sub ficto nomine Titii vel Caji supplicet juxta formam hinc subjungendam, juxta quam etiam pro aliis casibus supplicationes (sive dispensatio à S. Pœnitentiariâ, sive ab Episcopo, aut ejus Vicario petatur) mutatis mutandis confici possunt. sequitur supplicationis forma.

FOR-

FORMULA SUPPLICATIONIS

Pro Dispensatione super impedi-
mento affinitatis in primo gradu
post jam contractum Matri-
monium.

Eminentissime & Reverendissime
Domine.

EXponitur humiliter Eminentia vestra pro parte Devoti illius oratoris (ponitur NN. vel fictum nomen v.g.) Caji Laici, quod ipse aliàs conscius impedimenti (si impedimentum ignoravit, ut multi simplices ignorant, dicatur loco conscius, ignarus impedimenti) matrimonium per verba de presenti in facie Ecclesia contraxit, & successivè consummavit cum muliere, cujus matrem (vel sororem) antea cognoverat. Cum autem dictus Orator ob affinitatis impedimentum ex prædictis proveniens (quod occultum est) in eo Matrimonio remanere non possit absque Sedis Apostolicæ dispensatione & si devotum inter eos fieret, Scandala exinde verosimiliter exorirentur, cupit à præmissis, de quibus summè dolet, absolvi, & secum super impedimento ad remanendum in dicto Matrimonio dispensari (si proles ex eo jam concepta est, additur, prolemq; susceptam legitimari) quare Eminentia vestra humillime supplicat, ut super hoc de opportuno remedio Auctoritate Apostolicâ providere dignetur.

In fine per modum post-Scripti, is qui litteras procurat, reverentialiter insinuat & rogat, quò litteras dispensationis dirigere debeat Cardinalis Pœnitentiarius, v. g. *dignetur Eminentia vestra responsum dirigere Coloniam ad me infra scriptum.*

Deinde si in loco, ubi Orator seu Pœnitens dispensatione indigens existit, Doctor in Theologia, aut Jure Canonico, quibus executio dispensationis passim committitur, non facilè possit haberi, id etiam adire poterit sollicitator aut Confessarius, & rogare, ut alii committatur dispensationis executio v. g. hoc modo: *Et quia in Oratoris loco nullus reperitur Confessarius in Theologiâ Magister vel Canonum Doctor, vel alius ad exequendum privilegiatus, dignetur Eminentia vestra providere & disponere, ut etiam alius exequi valeat.*

Supplicæ à tergo inscribitur hoc modo:
Eminentissimo & Reverendissimo Domino D.
S. R. E. Cardinali majori Pœnitentiario &c.
Romæ.

Potest etiam eadem hæc supplicatio brevius fieri juxta formulam quam præscribit Agenda Colon. pag. 226. item *Arsdekin.* apud *Reiffenst.* lib. 4. in append. n. 428. hoc modo:

Eminentissimè &c. &c.

Tlius N. Laicus conscius (vel ignorans) impedimenti contraxit in facie Ecclesiæ matrimonium cum muliere, cujus matrem (vel filiam
N vel

R. D. Janjen Theol. Moral. Tom. IV.

vel sororem) prius carnaliter cognovit. quare cum absque scandalo separari non possint, & impedimentum sit occultum, humillimè supplicat pro absolutionis & dispensationis remedio.

22. QUÆR. VII. Quomodo & ad quos Romam dirigi debeat supplicatio?

R. Si dispensatio non possit dari à Nuncio Apostolico vel loci Episcopo debet peti Romæ pro impedimento publico in Datariâ, pro occulto in Pœnitentiariâ expediet autem illam petere mediante Nuntiaturâ ut dixi supra n. 12.

In defectu Nuntiaturæ præsentissima & securissima via est recurrere ad Rdfsimum Ordinarium vel ejus Vicarium generalem, aut Consilium Ecclesiasticum aut practicum Consiliarium aut Secretarium ejusdem, rogando, ut supplicationem Romam dirigere, & per Rdfsimi Ordinarii Agentem (quavis enim Episcopus Româ longè distans Agentem ibidem habere solet) supplicationem in loco debito porrigere, atque dispensationis litteras, earumque expeditionem urget dignetur.

2. Si quis ob rationes sibi notas hac viâ incedere nolit, potest per seipsum, vel per tertium alium mediâ postâ ordinariâ supplicationem ritè conceptam mittere Romam ad aliquem Agentem vel Episcopi, vel Principis territorialis, vel ad Procuratorem generalem alicujus ordinis per religiosum talis Ordinis, vel ad alium notum bonum amicum ibidem existentem, rogando, ut eam in loco debito porrigere & expeditionem urget dignetur.

3. Circa jam dictos Procuratores generales Ordinum hîc notandum ex *Reiffenst. num. 438* & seq. quod quamvis hi non libenter suscipiant

munus procurandi dispensationes pro foro externo, id tamen pro foro interno libentissimè, magnâq; cum charitate & promptitudine faciant. hinc

4. Si pœnitens aliquis dispensatione super impedimento occulto pro foro interno indigens veniat ad Confessarium Regularem cujus Religio procuratorem generalem Romæ habet, securissima & expeditissima via est, si talis Confessarius ipse statim Romam scribat Procuratori generali, ei impedimentum & causam dispensandi, exponendo, simulque rogando, ut dispensationem procurare dignetur.

5. Regulares Procuratorem generalem Romæ non habentes, sicut & alii, qui unam ex hactenus ostensis viam amplecti nolentes, ipsimet, ut securi sint, supplicationem ritè formare, ac Romam dirigere volunt, possunt id etiam facillimo negotio præstare.

Si videlicet supplicationem per modum litterarum ad Eminentissimum Cardinalem summum Pœnitentiarium juxta formulas supra allegatas formet, eamque Sigillo claudant, exteriorem inscriptionem modo supra dicto ita faciant:

Eminentissimo & Reverendissimo Domino D.

S. R. E. Cardinali majori Pœnitentiario

Sicque factam, sigillatam, & inscriptam mediante postâ ordinariâ Romam dirigant. Hoc enim qui facit dispensationem à Sac. Pœnitentiaria certè obtinebit; dummodo interius in supplicationis litteris per modum postscripti reverentialiter manifestet, quonam litteræ responsoriæ ac dispensatoriæ dirigi debeant.

23, QUÆR. VIII. Quæ sit formula apud Sac.
Pœnitentiariam litterarum dispensationis pro solo
foro interno? & quæ clausulæ in eis specialiter
observandæ?

R. 1. Stylum Pœnitentiariæ in concedendis
litteris dispensationis pro foro interno super impe-
dimentis matrimonii esse aliquantulum immutatum,
eò quòd vi styli novi dictis litteris inseri soleant
Clausulæ, quæ non reperiuntur in litteris juxta
stylum antiquum expeditis, uti patebit conferenti
dispensationis litteras à Sanchez, relatas lib. 8. diff.
34. n. 1. 3. 4. cum litteris novo stylo conformibus
infra adducendis.

R. 2. Formulæ dispensationum pro diversitate
impedimentorum & causarum sunt quidem variæ,
quoad modum tamen principalem formulæ om-
nes ferè conveniunt. Subjungitur aliqua talis,
quâ dispensatur super impedimento occulto affi-
nitatis post contractum matrimonium.

Inscriptio litterarum dispensationis ad extra,
ordinariè ita sonat:

Discreto viro Confessori Magistro
in Theologiâ, vel Decretorum
Doctori ex approbatis
ab Ordinario, &c.

Sequitur Formula litterarum,

NN. CARDINALIS &c. (hujus loco ponit-
tur nomen Episcopi, si ab eo, aut ejus Vica-
rio Dispensatio petita fuerit) Decreto viro Con-
fessori Magistro in Theologiâ, vel decretorum Do-
ctori, ex approbatis ab Ordinario, per latorem pra-

sentium ad infrascripta specialiter deligendo. Ex parte latoris presentium nobis oblata petitio continebat, quod ipse aliàs Matrimonium, cum muliere, cujus sororem antea carnaliter cognoverat, publice in facie Ecclesie contraxit & successivè consummavit. Cum autem, sicuti eadem petitio subjungebat, lator predictus ob impedimentum ex premissis proveniens in dicto Matrimonio remanere nequeat absq̃ Apostolica Sedis dispensatione, ad vitanda scandala, qua, si divortium fieret inter eos, verosimiliter oriri possent, ac pro sua conscientia quiete cupit à premissis, qua sunt occulta, & de quibus plurimum dolet, absolvi, secumq̃ de super dispensari. Quare supplicavit humiliter, ut sibi super hoc de opportuno remedio providere dignaremur. Nos itaq̃, qui Pœnitentiaria Domini PP. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, Authoritate Apostolicâ specialiter nobis concessâ discretioni tuae committimus, quatenus, si est ita, dictum latorem, auditâ prius ejus Sacramentali confessione, ac sublatâ occasione, si qua adhuc extat, amplius cum dictâ sorore peccandi, à quibusvis sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, quas propter premissa quomodolibet incurrit, incestu & excessibus hujusmodi absolvas hâc vice in forma Ecclesie consuetâ, injunctâ inde ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentiâ salutari, ac Confessione Sacramentali peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur, & aliis, qua de jure fuerint injungenda. Demum dummodò impedimentum prefatum sit occultum, & separatio inter latorem & prefatam mulierem fieri non possit absq̃ scandalo; ex cohabitatione verò de incontinentiâ probabiliter timendum tibi visum fuerit, aliudq̃ impedimentum

Canonicum non obstat cum eodem latore & dicta muliere, de nullitate prioris consensu certiorata, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eadem, & uterq; inter se de novo secretè ad vitanda scandala, promissis non obstantibus contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses; prolem susceptam, si quasit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo, in foro conscientie, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum & non aliter, neque ullo alio modo: ita quòd huiusmodi absolutio & dispensatio latori in foro iudiciario nullatenus suffragentur: nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis, sed presentibus laniatis, quas sub pœnâ excommunicationis lata sententia laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum extet, neque eas latori restitutas. Quod si ei restitueris, nihil ei presentes litteræ suffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum sub sigillo officii Pœnitentiariæ &c.

Hæ litteræ dispensatoriæ ad eundem Confessarium aut Parochum, qui eas pro suo pœnitente petiit, in involucro, cui nomen ejusdem Confessarii aut Parochi inscriptum est, mittuntur clausæ, quare eas aperire nequit, sed tenetur eas tradere suo pœnitenti, cui facultas datur quemlibet alium Confessarium, modò is requisitas qualitates habeat, eligendi, coram quo matrimonium revalidet; poterit tamen Confessarius (supposito, quòd ipse qualitates à dispensante requisitas habeat) pœnitenti ita dicere: ecce, mihi hæc est dispensatio, quam desideras ad revalidandum tuum Matrimonium; poteris etiam ad hoc eligere, vel me, vel quemvis Confessarium qualificatum; At sic casus tuus alii etiam notus fiet;

figitur me vis eligere, libenter tibi hoc officium præstabo. Si pœnitens ad hæc respondeat: bene, eligo te: jam Confessarius litteras dispensationis aperire, legere, & cum pœnitente dispensare potest, eo modo, quo latius dicitur infra *quest. 9.*

R. 3. Clausulæ in præfatis litteris specialiter observandæ sunt potissimum sequentes.

Ima: *Discreto viro Confessori Magistro in Theologiâ, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem præsentium ad infra-scripta specialiter deligendo.* Hæc Clausula denotat qualitates necessarias, ad hoc, ut quis ejusmodi litteras aperire & exequi possit; requiritur enim *primò*, ut quis sit Magister seu Doctor (quæ hic sunt synonyma) Theologiæ vel Decretorum, seu juris Canonici promotus in publicâ quâdam Universitate vel Academiâ, unde non sufficit, ut quis sit licentiatuſ, vel etiam professor & vir doctissimus, qui publicè doceat: neque sufficit, ut sit lector vel professor regularis, qui juxta ordinis statuta vocetur Magister Theologiæ vel Juris Canonici, nisi id ei competat ex speciali privilegio Apostolico, quale teste *Reiffenstul. hic num. 445. & seq.* habent *Lectores jubilati* Ordinis Seraphici, item patres Confessarii Societatis JEsu à suis Superioribus ad exequendas ejusmodi litteras specialiter designati, etiamsi Doctores non existant. Requiritur *secundò* ut sit approbatus ab Ordinario vel pœnitentis, vel illo, in cujus Diœcesi fit executio litterarum. *Tertiò*, ut quis ab Oratore seu pœnitente, pro quo dispensationis litteræ sunt emanatæ, ad exequendum specialiter sit electus. Circa hanc conditionem tamen notandum,

quòd, si unus Confessarius à pœnitente electus exequi recuset, vel ob nimium rigorem pœnitenti discipliceat, possit iste variare, & alium eligere, Quòd si qualitas Magisterii seu Doctoratûs in inscriptione dispensationis non exprimat, sed inscriptio ita sonet: *Discreto Viro Confessori ex approbatis ab Ordinario &c.* (prout sacra pœnitentia eam in Casu extraordinario facere solet, si pœnitens proponit, quòd in suo loco, ubi degit, nullus Confessarius, qui sit Doctor in Theologia vel iure, reperiat, ac propterea instar, ut alteri fiat commissio, juxta dicta q. 6. num. 3.) potest quivis Confessarius ab Ordinario approbatus, & à pœnitente specialiter electus ejusmodi litteras exequi, & si Doctor non sit.

2da Clausula: *Discretionis tuae committimus, quatenus, si ita est &c.* Vi hujus Clausulæ debet executor pœnitentem examinare, & videre, an preces veritate nitantur, v. g. an matrimonium sit contractum, an impedimentum sit occultum, an scandala ex separatione verosimiliter sint timenda, vel an alia causa finalis allegata subsistat &c. & si preces veritate non niti repererit, dispensare non potest. Non tamen est necessarium, ut promissione adhibeat Notarium vel testes, vel exigat juramentum à pœnitente, sed sufficit ipsum solum examinare, cujus deîn dictis fidem adhibere potest & debet: quia cum dispensatio committatur pro solo foro secreto conscientie interno, attenduntur leges dicti fori, in quo creditur soli pœnitenti etiam non juranti. Quod tamen limitatur in casu, quo Confessarius extra confessionem certò sciret preces veritate non niti; tunc enim nec deberet, nec validè posset exequi litteras, quamvis contrarium mentiendo vel op-

nando asserat pœnitens. Porro si Clausula de veritate precum simpliciter ita sonat : *Si ita est* : vel, *si preces veritate nitantur* : valida erit dispensatio, etiamsi Confessarius nullum pœnitentis examen præmiserit, dummodo preces à parte rei verè subsistant. Secus autem est, si Clausula sonat : *quatenus si ita esse per diligentem Oratoris examinationem &c. inveneris*. Hæc enim verba prævium examen & indagationem de precum veritate requirunt. Ita *Agenda Colon. Reiff. hic à n. 453.* & alii communiter.

3tia Clausula : *auditâ prius Sacramentali confessione*. Hæc clausula de antiquo Stylo non inferebatur his litteris : & ideo juxta stylum modernum de facto certum est, ante executionem debere pœnitentem prius Sacramentaliter confiteri Confessario debite qualificato, & ad exequendas litteras electo. Idque procedit, etsi pœnitens prius alteri jam fuerit confessus, & ab incestu aliisque peccatis absolutus, de facto nullum in conscientia habeat peccatum mortale. Quæ confitendi necessitas confirmatur ex clausula subsequente : *In foro conscientia, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis, & non aliter, nec alio modo*. Quæ verba nullum relinquunt dubitandi locum ; præsertim cum dicta Clausula : *non aliter, nec alio modo*, indicet præcisam necessitatem, ita ut prorsus nullam admittat modificationem vel interpretationem. Nec obstat, quod pœnitens ab alio jam absolutus, non habeat nisi sola venialia, ad quæ confitenda nullum Ecclesia obliget ; nam contra est, quod licet talis per se & absolute non obligetur ad confitenda sola venialia, obligatur tamen per accidens & conditionatè, si velit esse particeps gratiæ dispensationis, sicut probabilius

obligatur ad confitendum sola habens venialia, si velit lucrari plenarias indulgentias, quare ex his etiam cessat controversia illa, an possit Confessarius ad dispensandum electus extra actum Sacramentalis confessionis dispensare; cum enim clausula dupliciter conditionata expressè dicat, quod fieri debeat, *in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum*, & non aliter nec alio modo, palam est; quod nequeat fieri extra Confessionem accedente præsertim dictione *tantum* quæ solum includit expressum, & cætera excludit. Authores contrarium tenentes scripserunt ante stylum modernum; clausulæ verò istæ, juxta stylum antiquum, non erant insertæ litteris dispensationis, ut supra dictum est.

4ta Clausula: *Ac sublatâ occasione, si qua adhuc extat, amplius cum dicta sorore peccandi.* Hic per occasionem peccandi intelligitur occasio proxima, quam si adhuc subsistere, ex audita confessione prudenter cognoscat Confessarius, debet ante omnia mandare pœnitenti, ut occasionem proximam tollat, & interea, donec occasio actu sublata sit, dispensationem differre: Si verò eam ablatam jam esse, vel ob lecutam emendationem nullum amplius periculum subsistere cognoscit, sub ipso actu Sacramentalis Confessionis cum ipso dispensare potest ac debet, observatâ tamen etiam prius subsequente clausulâ.

5ta Clausula: *Injunctâ ei, pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentiâ salvari, ac Confessione Sacramentali peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties sibi videbitur.* Hæc clausula rursus in ablativo posita conditionem importat, & consequenter ante dispensationem implenda est, saltem quoad im-

impositionem menstruæ Confessionis. Quæ certa ac specificata pœnitentia videlicet singulis mensibus confitendi, cum de jure non insit (licet aliàs de jure insit, aliquam pœnitentiam in quâvis Confessione esse injungendam) in ablativo posita cum cæteris clausulis conditionem & formam indicat, ita quidem, ut ob verba, *ut minimum semel* (quæ ex stylo novo adduntur) illa pœnitentia in ejusdem Confessarii arbitrio non sit, sed debet necessariò injungere pœnitenti, ut per totam vitam *ad minimum semel* in mense confiteatur: qui pœnitens mortaliter peccat toties, quoties in mense aliquo semel confiteri omittit. Reliqua tamen salutâris pœnitentiæ gravis opera, quæ à S. Pœnitentiariâ non sunt determinata, censentur relicta prudenti arbitrio Confessarii, qui pro diversitate delicti & personæ eam imponet; ita tamen, ut consideratis considerandis, reverà gravis sit & dici possit. Inter pœnitentiæ opera injungenda servire possunt opera Religionis, v. g. Litanîæ, vel ter aut quinquies Pater & Ave singulis diebus per unum, duos aut tres annos recitanda, vel singulis septimanis Rosarium per totam vitam. Item opera charitatis, v. g. largitio eleemosynæ; opera mortificationis v. g. Jejunium vel abstinentia uno vel pluribus diebus in mense, septimanâ &c.

6ta Clausula: *à quibusvis sententiis, censuris &c. abstineas in formâ Ecclesiæ consuetâ, eâ scilicet, quâ Ecclesiæ in foro Sacramentali uti solet.*

7ma Clausula: *Dummodo impedimentum præfatum sit occultum.* Hæc clausula importat, quod, si impedimentum jam esset manifestum, dispensatio fieri non posset; & jam facta, invalida foret

ctiana

etiam pro foro interno. Impedimentum autem tunc censetur occultum, quando vel omnino secretum existit, ita ut nullâ ratione probari valeat; vel si quidem scitur ab uno vel alio, aut tribus vel quatuor, nullum tamen periculum est, quin ulterius publicetur: hoc enim ubi rationabiliter timetur, etiam periculum est, quod matrimonium occultâ dispensatione validè contractum, majori cum scandalo iterum separari debeat, cum dispensatio pro foro interno facta, in foro externo prorsus non attendatur. Hinc in praxi omnino attendi debet, non tantum quor personis, sed etiam qualibus impedimentum sit notum: quia fieri potest, ut respectu quinque prudentum & timentium Deum, qui impedimentum norunt, prorsus nullum sit periculum ulterius divulgationis, & econtra respectu duorum vel trium v. g. garrulorum & inimicorum &c. divulgationis periculum reverà adesse videatur, præsertim si etiam aliæ circumstantiæ tale periculum minentur.

Sua Clausula: Et separatio inter latorem & mulierem fieri non possit absque scandalo; ex cohabitatione verò de incontinentiâ probabiliter timendum tibi visum fuerit. Hæc clausula vult, ut si putativi Coniuges sine scandalo separari possint, separentur, vel saltem, si separari nequeant, at sine periculo incontinentiæ ut frater & soror cohabitare possint, ad hoc negatâ dispensatione inducantur. Ordinariè tamen opus non est, ut Confessarius ejus rei experimentum capiat, si ex aliis circumstantiis prudenter judicat, quod coniuges nec sine scandalo separari, nec sine periculo incontinentiæ, ut frater & soror cohabitare possint, & in hoc Confessarius conjugibus periculum scandali & incontinentiæ simpliciter alle-

rentibus credere potest; nisi manifestè videret, illos sine ullo scandalo separari posse, prout v. g. contingere posset, si putatitii conjuges vagi, & in loco dispensationis penitus ignoti essent; tunc enim sine scandalo separari possent & deberent; excipe tamen, nisi tales conjuges invicem ita essent affecti, ut nullâ ratione separari vellent, & negatâ dispensatione nihilominus in priori statu permansuri maximo cum ipsorum proprio scandalo præviderentur.

9na Clausula: *Aliudque Canonicum non obstat impedimentum.* Quia dispensatio non nisi super petitis datur, & data censetur; unde quodcunque aliud impedimentum in supplicatione, & in impetratâ per illam dispensatione non expressum minimè tollit. Hinc si Confessarius cognoscat pœnitentem adhuc aliquo alio, præter expressum in litteris, laborare impedimento, dispensare nequit; etsi bonâ fide & ex ignorantia invincibili illud exprimere omiserit pœnitens.

10ma Clausula: *dictâ muliere de nullitate prioris consensûs certioratâ, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur.* De hac Clausulâ, uti & de illâ: *Matrimonium secretè ad vitanda scandala, id est, sine Parocho & testibus de novo contrahere valeat, vide hoc Cas. n. 3. & 4. ubi actum de modo & praxi revalidandi matrimonium, quando illud ob impedimentum ab Ecclesia dispensabile fuit antecederet nullum, circa hunc modum matrimonium revalidandi seu de novo contrahendi tenetur Confessarius vi hujus clausulæ pœnitentem instruere. Vide de hoc quoque methodum practicam in fine hujus casûs.*

11ma Clausula: *Prolem susceptam, si qua sit, exinde legitimam decernendo in foro conscientie tan-*

iūm &c. Hæc legitimatio prolis necessariò fieri debet in ipso actu Confessionis Sacramentalis, & extra illam facta est invalida, etiam pro foro interno, eò quòd in litteris dispensationis expressè caveatur, & pro forma præscribatur, *ut proles, si qua sit, legitima decernatur in ipso actu Sacramentalis Confessionis, & non aliter, nec alio modo* &c.

12ma Clausula: *In foro conscientia tantum* & *in actu Sacramentalis Confessionis* &c. ita quòd *hujusmodi absolutio & dispensatio latori in foro iudiciario nullatenus suffragentur.* Hæc clausula aperte indicat, quòd S. Pœnitentiariâ uti non potest, ita nec velit aliter absolvere, dispensare & legitimare, quàm in casibus occultis pro solo foro interno. Hinc si impedimentum aliquando desineret esse occultum, & fieret publicum quocunque tandem modo, Ordinarius ad evitanda publica scandala, illicò separare debet Conjuges, quantumvis in foro interno vi dispensationis legitimos, etiam si Ordinarius ipsemet pro foro interno cum ipsis dispensasset, vel aliunde certò sciret S. Pœnitentiariam cum ipsis dispensasse. Pariter dixi Conjuges subjacerent pœnis à jure statutis, ipsæque proles quòd ad omnia reputarentur illegitimæ, eò quòd in ordine ad forum externum nullum prorsus effectum habeant Pœnitentiariæ litteræ, prout ipsæmet clarè indicant per clausulam, *in foro conscientia tantum, & in foro iudiciario nullatenus suffragentur.* Hinc ne quid pro foro externo probari valeat, ponit ulterius S. Pœnitentiaria sequentes clausulas:

13tia: *Nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis.* Vi cujus clausulæ vult, ut pro dispensatione faciendâ, vel factâ nullus testis adhibea-

hibeatur, nec de ea facta litteras testimoniales det Confessarius, nec ipsemet oretenus desuper testetur, sed circa eam, utpote in- & sub ipso Sacramentali actu præcisè factam in foro externo se habeat, quasi nihil de ea sciret, ad quem finem etiam facit clausula sequens:

14ta : *Presentibus laniatis, quas sub pœnâ excommunicationis lata sententia laniare teneris, ita ut nullum earum exemplum extat.* Quod intelligitur de exemplo seu copia authentica, in debita iuris forma facta, serviente ad probandum pro foro externo : aliàs autem non prohibetur Confessarius eas describere, & copiam pro sua vel aliorum instructione retinere; ipsas autem originales litteras per jam dictam clausulam tenetur sub gravi peccato mortali (quod ex annexa excommunicationis pœnâ, quæ non laceranti ipso facto infligitur, satis patet) dilacerare, sive ita corrumpere, ut non amplius possint esse usui, aut probare pro foro externo.

15ta : *Neque lateri restituas.* Contra hanc clausulam rursus graviter peccaret Confessarius, si litteras executioni aliquando mandatas iterum restitueret pœnitenti, novam tamen excommunicationem propterea non incurreret. Dicitur autem notanter, *litteras executioni mandatas;* quia si eas ex aliqua causa exequi non vellet, aut tardaret Confessarius ad exequendum à pœnitente electus, debet illas petenti iterum tradere, ut possit alium Confessarium quærere & eligere, qui forsitan alterius opinionis existens, eandem exequi non dubitaret.

16ta : *Quod si restitueris, nil ei presentes suffragentur.* Intellige in foro externo; quia postquam executioni jam fuêre mandato, earum effectus

fectus & valor pro foro intetno ex illa restitutione minimè tollitur ; quamvis restituens graviter peccet.

17^{ma} : *Gratis ubique.* Hæc clausula à tergo dispensationis inscribi solita id significat, quòd nec Officiales Pœnitentiariæ, nec executores literarum intuitu illius possint aliquid exigere, vel acceptare etiam spontè oblatum, etiam sub prætextu laboris. Post factam verò dispensationem aliquid gratis oblatum accipi posse docent plures cum *Sanch. Reiffenst. n. 487.* At *La Croix n. 946.* meritò dicit contrarium in praxi suadendum esse ; quia in materia dispensationum sine distinctione prohibetur acceptatio muneris.

Hanc præcipuatum clausularum explicationem apponere volui, tum quia Parochis & Confessoribus non solùm in causis matrimonialibus, sed etiam pro aliis casibus occultis, in quibus S. Pœnitentiaria (exceptis iis, quæ pro exigentia casuum mutari oportet) serè semper iisdem clausulis utitur, potest esse ului : tum quia in variis Diœcesibus, & præsertim in hac Archi-Diœcesi Coloniensi, quando super Casibus occultis pro foro interno Ordinarius dispensat, eadem dispensationes in scriptis, & cum clausulis stylo Pœnitentiariæ conformibus expediuntur.

24. QUÆR. IX. Quomodo in praxi Confessorius cum pœnitente, qui dispensatione indiget, se gerere, & dispensationem obtentam exequi debeat?

R. Ex hucusque dictis ad hoc servire potest hæc sequens compendiosa methodus practica. 1. Si pœnitens habeat conjugem hæreticam, dicendum non esse spem obtinendi dispensationem, nisi ipsa sit actualiter conversa, juxta dicta hic sup. n. 8. 2.

2. Si advertas pœnitentem scire se habere impedimentum dirimens, aut saltem de eo dubitare, & matrimonium adhuc sit contrahendum, teneris ei id dissuadere, aut saltem obligare eum ad petendam præviè dispensationem, supposito, quod impedimentum sit dispensabile.

3. Si Pœnitens cum tali impedimento, quod advertis eum scire, aut de eo nunc saltem dubitare matrimonium jam modò contraxerit, teneris eum seriò monere, ut à copulâ omnique alio opere carnali abstineat, donec impetratâ dispensatione matrimonium revalidatum fuerit. Quod si impedimentum sit difficulter vel omnino non dispensabile, suadere ei debes, ut quovis possibili modo à putatitia sua Conjuge se separet quoad habitationem, vel si ob gravissimas causas id fieri non possit, saltem se separet quoad lectum & cubiculum nocturnum. Vide dicta hîc n. 20.

4. Si Pœnitens est in bonâ fide, & tu advertis eum habere impedimentum dispensabile (nam si sit indispensabile, & ex manifestatione gravissima mala timeantur, potes tacere, & rem Domino Deo commendare) investigato priùs, an bene cum Conjuge conveniat, dissimula, ac interim pete stâtim pro eo dispensationem; hâc obtentâ eum accede (si tamen jussisti ut post duas aut tres septimanas ob gravem causam ad te redeat, expecta, donec veniat) & pete licentiam cum eo loquendi ex ultima Confessione de re aliqua ipsi non ingrâtâ. Dein expone ei nullitatem matrimonii, & jube eum denuò confiteri; in hac Confessione observa accuratè omnia in litteris dispensationis præscripta, ac præsertim injunge
O
ei

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. IV.

ei debitam pœnitentiam, absolve cum forma consueta, post absolutionem priùs eum ipso in matrimonii impedimento dispensa sub ipso adhuc Confessionis Sacramentalis actu, & non extra illum; sub eodem adhuc actu proles ejus, si quas habet, decerne legitimas, demum si litteræ dispensationis velint, ut matrimonium coram te Confessario revalidetur, jube eum cum conjugē sua, eâdem vel aliâ die te accedere, vel potius (si mavis) tu ipsos in eorum ædibus accede, facque eos coram te tanquam constituto, pro hoc actu, Parocho, sine adhibitis aliis testibus, matrimonium de novo contrahere. Si verò litteræ dispensationis non exprimant, matrimonium coram te præcisè Confessario revalidari debere; sed potius velint, ut uterque conjux inter se de novo secretè contrahant, adhuc nihilominus non tantùm expediet, sed & suo modo necesse erit, ut de novo contrahant coram te Confessario, tum quia adhuc censeris pro hoc actu saltem tacitè constitutus ipsorum Parochus, tum, ut conjugem impedimenti ignaram, de nullitate prioris consensûs ipsemet cautiùs certiorare præviè possis, tum denique, ut attendas, an conjuges, præsertim rudes, matrimonium revalidantes omnia ritè & debitè peragant. Fient interim, non obstante tuâ assistentiâ, adhuc omnia secretè; nam teneberis sigillo Confessionis æquè ac ante.

5. Si pœnitens aut ejus conjux aut uterque sit hæreticus, & nunc Catholicam fidem amplecti velit, matrimonium verò antecedenter clandestinè contraxerint v. g. coram Ministro aut Magistratu A catholicis, adverte, in quo loco illud contraxerint; si in loco, ubi vel Trid. non fuit promulgatum, vel non obstante promulgatione, ma-

matrimonia hæreticorum vel hæretici cum Catholicâ ob factam ex post declarationem Ecclesiæ sunt valida, uti in sæderato Belgio; tunc, cum clandestinitas respectu matrimonii ipsorum non fuerit impedimentum dirimens, instrue eum aut eos in vera fide, & procuratâ interim ab Ordinario facultate, absolvendi ab hæresi, excipe ejus aut eorum Confessionem, & absolutos in pace dimitte. Si verò matrimonium clandestinè contraxerint in regione Principi Catholico subiecta, sive in loco, ubi Trid. fuit debitè promulgatum & receptum, præter facultatem absolvendi ab hæresi, pete insuper facultatem assistendi eorum matrimonio coram te revalidando.

6. Si dictus pœnitens aliud habeat impedimentum Ecclesiasticum dirimens, similiter ab Ordinario præter facultatem absolvendi ab hæresi, pete dispensationem in illo impedimento & facultatem assistendi eorum matrimonio coram te revalidando, quâ impetratâ, exactè serva ea, quæ in literis petitiæ facultatis & dispensationis tibi ab Ordinario præscripta sunt. Cæterum causas, ob quas sæpeditam dispensationem ad revalidandum matrimonium, peti oporteat,

habes supra *quest.*

3. *torâ.*



CASUS CXII.

De Usu Matrimonii, & Obligationibus Conjugum.

Zolima Neosponsa ex Confessario petit: 1. An liceat copula in dubio de valore Matrimonii. 2. Quid si unus, vel uterque voverit continentiam. 3. Quid de adultero, vel incestuoso. 4. An liceat copula ex sola voluptate, aut quando nulla est spes proles, aut propter sanitatem. 5. Quid si non servetur situs, aut modus copula. 6. An locus, vel tempus. 7. Qualiter liceant conjugibus aspectus oscula, tactus &c. 8. Delectationes morosa. 9. Aspectus speciosa imaginis tempore coitus. 10. An sit obligatio ad actum conjugalem. 11. Quid si conjuges sit suspectus de adulterio. 12. Vel petat ebrietate, nimis saepe, infectus morbo. 13. Vel ob paupertatem proles nascitura ali non possit. 14. An petatur cum peccato. 15. Et seq. Quid de obligatione cohabitandi, proles, & familiam gubernandi.

Pro Resol.

QUÆR. I. An & qualiter licitus sit usus Matrimonii?

- I. R. De fide certum est Matrimonii usum per se licitum esse; dicit enim Apostolus 1. Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro.* Dico: *Per se*: nam per accidens variis modis usus Matrimonii potest fieri illicitus, ut
- I. Si unus, vel uterque sit moraliter certus Matrimonium esse nullum, ita ut non habeat prudentiam

motivum pro ejus valore, tunc sciens invaliditatem ex nulla causa, nequidem ex metu mortis petere aut reddere potest debitum, ut dixi *Cas. preced.* quia redditio tali casu esset mera fornicatio, quæ est intrinsecè mala. In dubio, an Matrimonium jam bonâ fide contractum sit validum, diligenter inquirendum est in veritatem, & interim abstinendum ab omni copula, & actu carnali; si adhibitâ sufficiente diligentia dubium deponi non possit, probabilius & peti & reddi potest debitum, saltem si dubium in utramque partem sit negativum vel positivum. *Sot. Henriq. Sanch. l. 2. d. 4. Pyrrh. de Spons. n. 181.* quia in dubio standum est pro valore actûs, & causâ favorabili, qualis est Matrimonium, *c. ex litt. de probat. l. 19. quoties de rebus dubiis*, & conjuges sunt in possessione Matrimonii bonâ fide contracti, ut supponitur, & non est periculum, nisi peccati materialis, cum supposita sufficienti inquisitione inculpabiliter ignorent invaliditatem Matrimonii; sicut ergo possidens bonâ fide agrum, si superveniens dubium vincere non possit, licitè retinet, & usurpat agrum, licet cum periculo injusticiæ materialis, sic & hic licitè utitur Matrimonio cum periculo materialis fornicationis, videturque id decisum *in c. laudabilem de frig. & malef.* ubi dicitur, quòd superveniente dubio de impotentia uterque possit ad triennium reddere & petere debitum. *Nec obstat*, quòd *in c. inquisitione de sent. excomm.* dicatur: *cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & discretâ, quamvis non evidenti & manifestâ: debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet*; nam hoc *c.* loquitur de casu, quo est motivum probabile pro nullitate, nulla autem probabilitas pro valore matrimonii, tunc enim dicit

O 3

reddi,

reddi, sed non peti posse debitum: aliud est, si pro utraque parte, vel pro neutra sit ratio probabilis, & Matrimonium jam bonâ fide sit contractum, quod addo: nam si malâ fide sit contractum cum dubio impedimenti, non Matrimonium sed lex non fornicandi est in possessione, ideoque si uterque malâ fide contraxit, neuter petere aut reddere debitum poterit; si unus contraxit bonâ fide, & dubium vincere non potest, hic petere, & per consequens alter reddere tenebitur, *Palao. Pirrh. num. 180.*

2. 2. Si una conjux ante Matrimonium emisit votum continentiae, non potest petere debitum, imò & tenetur, si possit, disponere conjugem, ut & ipsa abstineat, si tamen conjugem à petitione avertere non possit, obligatur reddere debitum *c. si dicat 33. q. 5.* de reliquo tenetur servare votum, quantum potest; unde si altera conjux consentiat, vel per incestum, aut adulterium se privaverit jure petendi, nequidem licebit reddere debitum, quia illud negare, & castitatem promissam servare potest absque injuria compartis; Item soluto Matrimonio, etiam si ante in petendo debito dispensatum fuerit, continentia integra servanda erit, nec sine dispensatione S. Pontificis (cui votum castitatis reservatum est) poterit transire ad alias nuptias. *Vid. Cas. 70. à n. 19. & Cas. 71. n. 14.* idem dicendum de voto, quod una conjux sine alterius consensu stante Matrimonio emittit; si verò altera pars votum simpliciter approbet, vel reciproce castitatem voveat, neuter petere vel reddere poterit debitum. Si ex post forent in periculo incontinentiae, oporteret petere dispensationem,

3. Adulter quidem potest petere debitum, innocens tamen non tenetur ei reddere : incestuosus cum consanguineâ suæ conjugis in primo vel 2do gradu, petere non potest ob affinitatem, quam contraxit cum propria conjugē : si autem marito non petente nec uxor ex verecundiâ petere auderet, ideòque foret in periculo incontinentiæ, maritus se modestè insinuare posset, imò si ignoret suo incestui istam pœnam esse annexam, uti ordinariè contingit in rudibus, hanc pœnam probabiliter non incurrit. *Laym. hic c. 8. n. 8.* aut si eam incurrit, ut probabilius est, à Mendicantibus, & cum iis participantibus absolvi potest, ut dixi *c. preced. n. 11.*

4. Actus conjugii fit illicitus, si fiat ex indebito fine v. g. ex mera voluptate ; tunc enim erit saltem venialiter malus, ut certum est ex prop. 9. ab Innoc. XI. damnatâ : *Opus conjugis ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ ac defectu veniali* : Ratio est inversio ordinis : natura enim huic actui indidit voluptatem ad acuendam, & aptiorem reddendam ipsam operationem generativam, ergo contra ordinem naturæ agit, qui ipsam operationem ad delectationem refert : igitur primarius finis copulæ conjugalis est generatio proles, secundarius est vitare periculum incontinentiæ in se & in comparte, nec non comparti petenti reddere actum ex justitia debitum ; ex ejusmodi fine usus Matrimonii non tantùm licitus, sed & potest esse meritorius ; quia licitè honestèque potest quis uti Matrimonio ad finem, ad quem à Deo est institutum ; sed Matrimonium post lapsum Adæ non tantùm institutum est ad generandam prolem, sed & secundario in remedium concupiscentiæ, ut patet ex *1. Cor. 7. Revertimini in id ipsum, ne*

tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram, S. Thom. in suppl. q. 42. art. 2. in O. Nec obstat, quod fortè ob senium, sterilitatem, prægnantem uterum &c. non sit spes proles, aut etiã ob paupertatem, vel difficultatem partus inefficaciter quis optet prolem non nãci, quia adhuc potest esse in remedium concupiscentiæ, & propter hunc finem dicit S. Th. q. 51. art. 5. ad 3. permitti senibus sterilibus Matrimonium, cur non & usus Matrimonii? & quamvis D. Th. q. 49. art. 5. ad 4. dicat esse veniale uti Matrimonio purè propter sanitatem corporis, tamen id aequè probabiliter & communiùs negant alii, quia ipse usus Matrimonii, & talis finis per se est honestus, nec semper teneor agere ex fine honestissimo, & cum Matrimonium primario sit institutum ad propagationem speciei, videtur secundariò institutum ad conservationem individui generantis, cum species, nisi salvis individuis, propagari non possit. Sporer n. 489.

5. 5. Si non servetur debitus situs, vel modus copulæ, & non sit periculum effundendi semen extra vas naturale, uti communiùs non esse testantur DD. si conjuges stando à latere, vel tergo congregiantur, aut vir sit succubus, mulier incubaba, quamvis gravissimè propterea sint increpandi, probabiliùs tantùm peccant venialiter, & si sit justa causa, v. g. ne noceatur mulieri prægnanti, nullo modo. Sanchez. l. 9. d. 16. Si experientia constaret esse periculum effusionis, aut talis situs adhibeatur ad impediendam prolem, foret mortale, imò omnis voluntaria effusio seminis extra vas est intrinsecè mala, & in vase præpostero est peccatum gravissimum & species adulterii, juxta alios species Sodomix. Mulier, quæ recepto jam viri

semine se manibus iuvat ad seminationem, peccat mortaliter, quia per seminationem viri copula jam est perfecta, ideoque ejusmodi procuratio seminationis ex post facta foret mollities. *Sanch. Peretz. disp. 94. lect. 8. Gobat. tr. 10. num. 59.* docent non peccare mulierem, si ob difficultatem prolis educandæ vel nimium partûs periculum, tempore coitûs aliò animum convertat, ut sic ipsa non seminet, & generationem prolis eviret: quod non possum approbare, videtur enim sic positivè impediri generatio, vel conceptio prolis, quod non licet etiam ex causa paupertatis, vel difficilis partûs, sed tali casu potius mutuo consensu abstinendum est ab usu conjugii.

6. Requiritur, ut copula fiat debito tempore, 6. & loco secreto: ratione *temporis* rarò peccatur; nam quamvis decentissimum sit die Communionis abstinere, tamen communiùs Theologi non agnoscunt obligationem. Idem plures dicunt de copulâ habitâ tempore menstrui, quam tamen sine causâ saltem petere, erit veniale, quod à priori tenet de copulâ cum puerperâ physicè nondum purificatâ, quam plures dicunt esse mortale ob periculum matris aut prolis, & ex hujusmodi impuris commixtionibus nascuntur non nunquam proles monstrosæ, claudæ, gibbosæ, infirmæ &c. Ratione *loci* peccatur mortaliter, si fiat in Ecclesia, nisi excuset necessitas, ut si conjuges tempore belli diu cogantur in Ecclesiis desertis habitare cum periculo incontinentiæ.

QUÆR. II. Qualiter conjugibus liceant 7. cogitationes, affectus, delectationes, imaginationes, oscula, aspectus, sermones venerei &c.?

O 5

B. Hæc

℞. Hæc omnia, si fiant in ordine ad excitandam copulam cum propria conjuge sine periculo pollutionis, & absque imaginatione personæ alienæ, vel nullum sunt peccatum, vel tantum veniale, nisi nimium excedatur honestas naturalis juxta sequentes explicationes. Sit autem venia verbis inhonestioribus pro explicatione præsentis materiæ omninò necessariis: *Omnia enim mundi mundis*, teste Apostolo.

Itaque 1. Quamvis plures probabiliter à mortali excusent conjuges se in partibus venereis osculantes, attamen mortalis, infanda, & plus quàm bestialis libido est, membro ori imposito coire usque ad seminationem, vel seminationis periculum; quis putasset hoc fieri ab homine rationali? & tamen fit, pro nimis sapè.

2. Aspectus, tactus, oscula, cogitatio, & affectus ad copulam, & similia, si fiant cum præviso pollutionis periculo, etiam in conjugibus sunt mortale, etiamsi pollutionem directè non intendant, idque vel maximè tunc, si tactus sint ità venerei, ut proximè disponant ad pollutionem, aut sint quasi inchoata pollutio, & conjuges in eo loco existant, ubi copulam exercere non possunt; si autem absit periculum pollutionis, & ejusmodi amplexus, oscula &c. sine diminutione amoris conjugalis negari non possint, non erunt mortale, præsertim ex parte reddentis, etsi præter intentionem aliquando sequatur pollutio. *Gobanum*, 667. erunt tamen veniale, si fiant ex mera voluptate; idem dicunt plerique de tactu venereo corporis proprii, si fiat præsentem conjugem, quia tunc abest periculum pollutionis, ut sup-

ponitur, & ejusmodi tactus refertur ad copulam: absente autem conjuge ejusmodi tactus est mortaliter malus, quia nequit referri ad copulam, quæ tunc haberi non potest, sed ex natura sua tendit ad pollutionem, cujus periculum plerumque adest,

3. Delectatio morosa, vel complacentia in actu conjugii, si fiat animo se excitandi ad novam copulam conjugalem, nullum est peccatum: si fiat ex mera voluptate, secluso tamen pollutionis periculo, est tantum veniale ob defectum debiti finis: e contra delectatio de copula habita cum priore conjuge, vel cum aliena, semper est mortale, & adulterium mentale. Ratio est, quod prior delectatio de copula cum conjuge vivente, sit de objecto secundum se licito, scilicet de copula cum sua conjuge, alia est de objecto illicito, seu de copula cum non suâ: hæc tamen intellige, si neuter conjugum existat in voto castitatis, nam si voto obstrictus incipiat tactus secum vel cum conjuge, vel morosè delectetur de copulâ, peccat mortaliter toties quoties contra votum ut patet. E contra, si copula conjugalis ob circumstantiam extrinsecam sit illicita, v. g. ob periculum morbi, vel abortûs; tactus, amplexus, delectationes morosæ & similes actus inter conjuges citra periculum pollutionis, non esse nisi veniale docent Theologi communiter, eò quod Matrimonium hæc omnia videatur in tantum coonestare, & certè, si illa omnia forent mortale, in periculosissimo statu versarentur conjuges juvenes se multum amantes &c.

4. Quamvis Sanchez, & alii excusent saltem à mortali mulieres, quæ tempore coitûs aspiciunt speciosas imagines, ut earum intuitu for-

mo.

formosas proles concipiant : rectè tamen fa-
tentur, rem esse plenam periculo, imò vide-
tur esse adulterium mentale, vel saltem evi-
dens ejus periculum, sibi tunc imaginari formam
alterius maris.

10. QUÆR. III. An, & qualiter actus conjugalis
sit obligatorius ?

R. Evolutio primo bimestri (quod conju-
gibus à jurè ad deliberandum conceditur,)
tenetur alter alteri seriò, justè, & rationabiliter
petenti debitum ex justitiâ & sub mortali red-
dere, ad hoc enim se obligârunt vi contractus
Matrimonii. Est communis & certa ex 1. ad Cor. 7.
Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro.
Item, *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad
tempus.*

Dicitur 1. *Serio petenti*, nam si conjux non
petat copulam seriò, & tanquam debitum, sed
tantùm obiter, amicè, & benevolè, nec agrè ferat
si unâ vel alterâ vice modestè denegetur, non erit
mortale; secùs, si conjux sit valdè agrè latura,
aut præ verecundiâ non ausit instanter petere, vel
sit in periculo incontinentiæ, tunc enim semper
erit mortale vel semel debitum negare, quod a
potiori tenet, si ex pertinacia, odio, vindictâ,
vel morositate negetur, aut non reddatur, nisi
post rixas, & cum magnâ difficultate. Est commu-
nis cum *Tan. disp. 8. q. 6. n. 25.*

11. Dicitur 2. *justè*, nam si conjux per incestum
vel adulterium jus ad copulam amiserit, altera partem
non tenetur ei debitum reddere, nisi & ipsa adu-
terium commisisset, tunc enim injuria per injuri-
am compensaretur, aut innocens injuriam libere
restituat verbo vel facto per voluntariam v.g. debiti
petitionem vel redditionem; injuria enim semper

remissa non reviviscit: ad negandum autem debitum non sufficit suspicio, vel aliqualis probabilitas adulterii, sed requiruntur indicia quasi certa, quia ipse est in possessione juris sui, & delicta non præsumuntur.

Dicitur 3. *Rationabiliter petenti*, nam irrationabiliter petenti sine culpâ negari potest, ut, si petat ex ebrietate, furore, amentia, si nimis sæpe & importunè, & non adsit periculum incontinentiæ, si ex redditione imminet periculum mortis, vel gravis morbi, eò quòd v. g. petens sit infectus peste, leprâ, morbo gallico &c. non est obligatio reddendi; non enim censentur conjuges se ad ejusmodi casum non prævisum, obligasse, nisi periculum infectionis esset valdè remotum, & periculum proximum incontinentiæ, tunc enim locum habet, quod dicitur *C. 2. de conjug. lepr.* *Si virum vel uxorem leprosum fieri contingat, & infirmus à sano debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, solvendum est.* Sola paupertas, vel difficultas educandi prolem vix unquam sufficit ad negandum debitum, quia paupertas vix unquam tanta est, ut proles cum ordinariâ DEI gratiâ, accedente propria industriâ, juxta cujusvis statum educari non possit, & econtrâ in juvenibus diu abstinentibus rarò aberit periculum incontinentiæ. Si petatur cum peccato solius potentis, ut si hic existat in voto, vel petat modo, vel situ indubito, aut ex mera voluptate, & petitio bonis verbis averti non possit, potest reddi debitum, sed non est obligatio, ut habet communis, quia, quamvis tunc petens peccet, tamen non amisit jus suum, & altera pars excusatur à cooperatione ex justa causa, ne scilicet graviter offendant vel

12.

13.

14.

vel lædat amorem conjugalem : econtrà si circumstantia, vel culpa teneat se ex parte ipsius copulæ, ut, si petatur in loco sacro, cum evident i periculo abortûs, cum inceptione extra vas naturale, est mortale & reddere & perere, nisi ignorantia excuset, quia tunc ipse actus secundùm se est illicitus, ergo eum ponere est peccatum ex parte utriusque.

QUÆR. IV. Quid de reliquis obligationibus conjugum?

15. R. Obligatio conjugum est quadruplex 1ma est *mutua*, ad cohabitandum, & ad reddendum invicem debitum, de quo jam dictum est. 2da, est obligatio *mariti* ad uxorem ut eam sustentet, instruat, protegat &c. 3tia est *Uxoris* ad maritum, ut ei debitam reverentiam & obedientiam exhibeat, &c. 4ta est obligatio *utriusq;*, sibi mutuò subveniendi, proles honestè & præcipuè in DEI timore educandi, instruendi, familiæ prospiciendi, mala & scandala ab ea revertendi &c. hinc.

Deduces Seqq. 1. tenentur conjuges sub gravi peccato sibi cohabitare, utendo eadem domo, mensâ, & lecto; ita ut injustè retinens peccet graviter, quæ quidem obligatio descendit ex jure divino præcipiente *Gen. 2.* ut homo adhæreat uxori suæ, & consequenter uxor viro suo, tum ex jure naturali, seu natura contractûs matrimonialis requirentis individuum vitæ societatem. Dixi: *injustè*, nam si unus conjugum absit ad tempus negotiaturus, aut honestè se recreaturus &c. non est ideo culpandus, quia non censentur se ad omnimodam cohabitationem obligasse, sed tantùm ad rationabilem non excusarem tamen, ait *Henno*, qui capritii causa diu

militaret vel peregrinaretur invitâ conjuge, & cum nullibi absentiae tempus determinetur, relinquitur id iudicio prudentis, pensatis absentiae causis ac periculo incontinentiae; & iudex, dum constat, quòd incontinenter vivant, cogere potest ad cohabitandum.

2. Viri est, habitationem eligere, quia est caput mulieris & familiae, nisi aliter convenerint, quia tunc stare debent conventioni, ita, ut, si maritus alibi domicilium figat, uxor non teneatur sequi, nisi adsit causa specialis, quod addo, quia non censetur conventio casum peculiarem comprehendere; & ideo si acciperet vit in alia urbe officium, à quo honesta familiae sustentatio penderet, uxor virum illuc transmigrantem, uti alias semper, ita & tunc non obstante pacto comitari deberet.

3. si vir fiat vagabundus, non tenetur uxor ipsum sequi, quia hoc foret gravissimum onus, & ille vivendi modus dedecet mulieres praesertim honestas. Si ante nuptias vagus fuisset more histrionum, sequi teneretur, quia tunc ipsa censetur consensisse, & illos mores approbasse; si tamen absque gravi detrimento virum sequi non posset, non teneretur. *Reiff.*

4. Si uxor ex causa necessaria v. g. ob sanitatem &c. domicilium mutet, etiam maritus (si commodè fieri possit) sequi teneretur ob tuenda jura matrimonii; quia quòdam mutua obsequia conjugalia vir & uxor pares sunt, cum hac tamen differentia, quòd vir, quia caput est, possit pro libitu mutare, uxor tantum necessitate cogente, *Sanch. Reiff.* Si alteruter exul fiat ob delictum, compars probabilius sequi non teneretur.

§. Vir

17. 5. Vir obligatur uxori ad præstanda alimenta, quo nomine etiam veniunt alia vitæ necessaria, ut vestitus, habitaculum &c. & vicissim uxor, si possit & vir inops sit, tenetur virum alere, hoc enim poscit mutuus conjugum nexus; imò si (etiam ex delicto) alteruter in exilium relegatur, mancipetur triremibus, carceri &c. nec habeat de bonis suis, unde sustentetur, tenetur compars necessaria subministrare, quantum potest. Si tamen ante ex sua culpa recessisset à conjugē, cessaret hæc obligatio, nisi pœnitentia ductus vel ducta redire velit, tunc enim causa negandi alimenta tollitur, & consequenter reddit obligatio ea præstandi.

6. An uxor teneatur solvere ex bonis propriis æs alienum quod vir contraxit ad uxorem & familiam sustentandam, si non supersint bona Mariti ad solvendum, controversant authores vide Ger-vasium pag. 402.]

7. Maritus potest & debet corrigere uxorem delinquentem; at si modum excedat facile poterit peccare mortaliter, ut si eam cum periculo abortûs, vel fructûs extinguendi, aut ei notabiliter nocendi, percutiat, vexet, exasperet, crudeliter tractet, graviter & injustè contristet: e contra peccat uxor, si maritum inhonoret, diffamet, contumeliis afficiat: peccat uterque, si proles aut familiam negligant, ad eorum actus & mores non attendant, delinquentes non corrigant, noxias aut periculosas conversationes non arceant, malo exemplo præeant, de necessariis sive in temporalibus sive in spiritualibus non provideant: juxta illud Apostoli 1. Tim. 5. *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

8. Pro coronide totius hujus Tractûs col-18.
liges varios effectus matrimonii, quales sunt
1. Indissolubilitas vinculi. 2. Obligatio debi-
ti. 3. Non nubendi alteri vivente conjuge.
4. Cohabitandi. 5. Communicatio quædam
bonorum & honorum. 6. Libertas à servi-
tute, si Dominus nuptui tradat personam
servituti subjectam. 7. Impotentia sine con-
sensu alterius se in servitutem vendendi. 8.
Nullitas quorundam donationum inter conju-
ges. 9. Potestas mutua irritandi vel suspen-
dendi vota, in quantum præjudicant juri Con-
jugum. 10. Obligatio præstandi alimenta, &
sibi mutuò succurrendi. 11. Legitimatio pro-
lis illegitimè conceptæ vel etiam natæ, de qui-
bus omnibus sparsim per decursum Theologiæ.
12. Gratia sanctificans Sacramentalis cum ju-
re ad auxilia specialia, quæ necessaria sunt,
vel utilia ad hoc, ut conjuges se castè dili-
gant, proles Christianè suscipiant & educant,
ac omnia Matrimonii onera patienter

in CHRISTO
ferant.



P

CA-

R. D. Janjen Theol. Moral. Tom. IV.

TRACTATU

De Censuris Ecclesiasticis

CASUS CXIII.

A Madeus *Quid & quotuplex sit censura, item qualiter ferri debeat: clericus interrogatur. 1. Quid sit censura. 2. An ferri possit in infideles, hereticos, mortuos, 3. Peregrinos. 4. Subditos extra Diocesin existentes. 5. An eam ferre possit Episcopus extra Diocesin existens. 6. An contra religiosos. 7. Quid si delictum non sit grave vel merè internum. 8. An reus debeat moneri vel citari, an etiam regulares. 9. Quid si ignoret, vel non recordetur acti suo censuram esse annexam. 10. Vel peccet ex metu. 11. An laici, Parochi, Abbatisse censuras ferre possint. 12. Quis sit effectus censurarum. 13. An depositio, degradatio, irregularitas sint censuras. 14. Quae feratur ab homine, quae à jure. 15. Quae sit ferenda, quae lata sententia. 16. An valeat censura lata ab excommunicato, suspensò. 17. Lata in non citatum, non convictum. 18. In innocentem, vel appellantem. 19. An opus sit citatione, si delictum sit notorium? Pro resol.*

QUÆR. I. Quid de censura Ecclesiastica?

R. Est pœna spiritualis & medicinalis, quæ homini subdito delinquenti, & contumaci, per Ecclesiasticam potestatem auferitur usus quorundam bonorum spiritualium. Ita quòad rem omnes.

Dicitur primò, *pœna spiritualis*; tum quia censura principaliter non versatur circa bona temporalia, aut afflictionem corporis, sed circa privationem bonorum spiritualium: quamvis per accidens & 2dario afflictio corporis, aut privatio bonorum temporalium nonnunquam sequantur ex censurâ; tum quia pœna spiritualis latius patet, quàm censura; unde hæ particule: *Pœna spiritualis* in data definitione habent rationem generis, reliqua rationem differentiarum.

Dicitur 2do, *pœna medicinalis*, quia per eam non tam intenditur vindicta peccati præteriti, quàm resipiscencia, & correctio contumaciter delinquentis, undè censura regulariter non debet ferri in perpetuum, sed postquam censuratus resipuit, & satisfactionem obtulit, est absolvendus *per c. ex litteris 11. de constitut.* & si suspensio ab ordine, vel beneficio in perpetuum infligatur, ut statuitur *c. unico de clerico venatore*, & quandoque fit apud religiosos, qui propter peccatum præteritum, vel indecoros mores à Sacrificio, Communione, Ecclesiâ, aut aliorum consortio ad tempus vel in perpetuum removentur; hæc tamen non sunt propriè censura seu pœna medicinalis, sed vindicativa, ideòque in ejusmodi sequestratione vel suspensione exercens sacros ordines, non incurrit irregularitatem. *Bonac. de cens. disp. 1. q. 1. p. 1. num. 19.*

Dicitur 3tio, *homini subdito*: hinc 1. Genti- 2. les, Judæi, aliique non baptizati, item fideles defuncti censurari non possunt, quia non sunt subditi Ecclesiæ, & quamvis aliqui Canones dicant hæreticos post mortem ab Ecclesiâ posse anathematizari; item animas fidelium post mor-

tem ligari & solvi, ejusmodi tamen anathematizatio non est propriè excommunicatio, sed aliqua execratio, vel declaratio excommunicationis, quam vivi per hæresin, vel aliud delictum incurrerant, aut demum est nuda prohibitio, ne fideles pro hæreticis orent, aut eorum corpora Catholicè sepeliant.

2. Nequè animæ in purgatorio, cum non sint amplius homines viatores, Ecclesiæ propriè subjectæ sunt C. 1. & 4. *Caus. 24. q. 2.* Neque Ecclesia eas tanquam sibi subditas propriè à peccatis absolvit, sed tantùm pro iis exhibet satisfactionem ex meritis Christi, solutio autem & satisfactio etiam pro non subdito fieri possunt, ut per se patet.

3. Si Episcopus statutum vel sententiam generalem ferat, ut omnes, qui noctu arma tulerint, aleis luserint, vel aliud delictum commiserint, hoc ipso sint excommunicati, hoc statutum regulariter non obligat peregrinos, quia non sunt subditi, *dico regulariter*, quia, si prævaricatio talis statuti cedat in scandalum vel speciale damnum loci, tunc mandans, si velit, potest etiam obligare peregrinos, cum enim hi sentiant commodum transitûs, gaudeantque securitate, & protectione loci, æquitas naturalis exigit, ut tali casu statutis loci constringi valeant: ex eadem ratione *dixi cas. 6. n. 7.* peregrinos obligari posse ad solvenda vectigalia, ad trahenda extrahenda frumenta, ad non vendendas metas prohibitas &c.

4. Si subditi extra Dioccesin, vel territorium mandantis prævaricentur legem, v. g. ludæi lusu vetito, si prohibeantur ludere ex statuto vel lege generali, non peccant, neque incurrunt

runt pœnas ; si autem prohibitio facta sit alicui vel aliquibus in particulari, hi etiam extra Diœcesin existentes vel fugientes obligantur, & in hos sententia excommunicationis vel suspensionis ferri poterit. Ratio est, quòd statutum cohæreat loco, sententia autem particularis afficiat personam, eamque sequatur, ubicunque existat. Si dicas, executio sententiæ non potest fieri in alieno territorio sine licentiâ illius Domini, *c. postulasti. 14. de foro compet.* hic autem quamvis sententia excommunicationis fiat in proprio territorio, tamen ejus executio fit in alieno, cum excommunicatus ibidem per excommunicationem statim privetur Communione fidelium, Sacramentis, & suffragiis Ecclesiæ. *R. c. postulasti,* tantum prohibet executionem externam & visibilem in alieno territorio, ut si quis ibidem deberet capi, vel bonis privari; hæc autem executio fit merè interne, in animâ & invisibiliter.

5. Episcopus extra suam Diœcesin existens, non potest suos censurare, etiamsi causa sit ita clara, ut ulterior ejus cognitio, vel examen non requiratur, nam ferre censuram est actus jurisdictionis contentiosæ, quæ in aliena Diœcesi exerceri non potest, quia ibi tribunal non habet *Delb. de immunit. Eccles. c. 2. dub. 6.*

6. Episcopi quamvis procedant ut delegati Papæ, item Nuntii Apostolici, Legati à latere non possunt ferre censuras contra religiosos exemptos, nisi id illis in specie concessum fuerit. *Pelliz. de regul. tr. 7. c. 1. n. 52.* Econtra superiores religiosorum possunt suos subditos citare, censurare, capere &c. ubicunque sint, & nemine implorato, uti habent jura apud *Delb. dub. 5. sect. 2. n. 21.* imò etiam suos novitios

cenfurâ ligare posse, docet *Pelliz. tr. 2. c. 6. n. 5.* quia superiores ordinum ex voluntate Papae talem habent jurisdictionem in illos, qualem Episcopi in suos.

7. Dicitur 4. *Delinquenti*, nam sine delicto non incurritur poena, & quidem cum censura plerumque sit poena gravis, etiam delictum debet esse grave, ideòque si actus ob inadvertentiam, parvitatem materiae, vel aliter excusetur à gravi culpâ, etiam hoc ipso excusatur à poenâ, oportet enim, ut poena sit commensurata delicto, *c. 41. & seq. caus. 11. q. 3.* Deindè delictum non debet esse purè mentale, sed transiisse in actum externum, ideòque hæresis purè mentalis non cadit sub excommunicatione, quia merè interna non cognoscit, per consequens nec judicat aut punit Ecclesia, ut habet communis. Denique debet delictum, ob quod incurritur censura, esse in suo genere completum & consummatum. Ratio est, quia leges poenales utpote odiosæ sunt strictè interpretandæ, ut constat ex *cap. odia. de Reg. jur. in 6.* suntque earum verba accipienda cum effectu, ut arguitur ex *cap. hac autem verba. dist. 1. de poenit* Hinc qui conatus fuit percutere Clericum, sed erravit, aut impeditus fuit, non incurrit poenam excommunicationis latam in percussores Clericorum: & idem dicendum de similibus.

8. Dicitur 5. *contumaci*, hoc est inobedienti, resipiscere nolenti, ut primùm enim resipiscit, & satisfactionem offert, absolvendum esse dixi supra: hinc, ut censura præsertim excommunicationis, & interdicti ab homine seu iudice in certam personam validè feratur, requiritur legitima citatio & trina monitio, vel una per-

emp.

emptoria continens competentia intervalla dierum, nisi aliud suaserit facti necessitas. *c. 5. de sent. excom. in 6.* Ratio est, quod reus non citatus nec monitus non censeatur contumax. Dixi, ab homine in certam personam lata, nam ad hoc, ut quis incurrat censuram ab ipso jure, aut stabili statuto, aut sententiâ generali ab homine in quoscunque de futuro transgredientes latam, non prærequiritur monitio, sed ipsum jus, aut sententia generalis, cum sit publica, semper monere intelligitur. *Eng. lib. 5. Decret. 1. 39. n. 8.* Prælatos autem regulares communiter non egere tali præmonitione docet. *Peluz. tr. 7. c. 1. num. 79.* quia apud hos non servatur strepitus judicii, sed satis est, quod constet de delicto & contumaciâ. 2. Ad hoc ut quis sit contumax, non sufficit, quod sciat actum suum esse graviter prohibitum Lege naturali, vel divinâ, sed etiam debet scire, esse prohibitum Lege Ecclesiasticâ, aliâs enim non est contumax contra Ecclesiam; imò ad effectum incurrendi censuram, debet scire censuram tali actui esse annexam. Ità contra *Covar. Cordub. & alios* docent *Suar. Sanch. Sylv. Pyrrh. lib. 5. tit. 39. à n. 44. Engel. n. 10. Burgh. cent. 1. cas. 18. Reiffenst. ibid. n. 25. Schmaltzgr. n. 78. Viva op. 1. 9. 3. n. 8.* Ratio est, ut quis sit contumax, debet repugnare potestati, quam habet Ecclesia ad coercendos & puniendos delinquentes, seu debet repugnare legi aut punitivæ, sed qui ignorat pœnam esse impositam, quâ coerceri debeat, non repugnat ejusmodi potestati, vel legi aut punitivæ, ergo. Deinde censuræ habent se ut medicinæ, & monitiones, quibus homines à culpâ deterreantur, sed non deterrentur, nisi

eas cognoscant, ergo. *Nec obstat*, quòd in Ju-
 re civili puniantur fures, & alii malefici pœnâ
 à jure statutâ, quamvis eam ignorent; item quòd
 incurratur irregularitas ex delicto homicidii eti-
 am ab ignorante hanc pœnam, nam hæ pœnæ
 non sunt medicinales, neque infliguntur, ut
 homines in futurum à crimine deterreantur, sed
 primariò in vindictam delicti præteriti: contra-
 rium est de censuris. Hic tamen notandum, quòd
 ad incurrendam censuram non requiratur contu-
 macia atque contemptus formalis; sed sufficit in-
 obedientia generalis & contemptus interpretati-
 vus, in hoc consistens, quòd quis sciens, quid-
 piam ab Ecclesia esse prohibitum sub censura, ni-
 hilominus illud facere non vereatur. Sed quid,
 si quis quidem sciverit suo actui censuram esse
 annexam, at illius non recordatur, dum actu
 peccat? *æ.* cum *La Croix l. 6. p. 2. n. 1614.*
 eam non incurri, quia oblivio æquiparatur igno-
 rantia, & sicut ignorans non est contumax con-
 tra legem pœnalem, ut talem, sic & ille, qui
 non recordatur pœnæ. Jam dicta tenent, etiamsi
 ignorantia, vel incogitantia pœnæ aut censuræ sit
 vincibilis, & graviter culpabilis, modo non sit
 omnino crassa, supina & affectata. *Eng. l. c. Pyr. b.*
à n. 45. Imò si Lex pœnalis utatur his aut
 similibus terminis: *Qui præsumpserit, ausus fue-
 rit. Qui temerè, scienter, consultò, contumaci-
 ter hoc vel illud fecerit:* Tunc pœna non in-
 curritur, etiamsi ignorantia pœnæ fuerit crassa,
 imò juxta *Dian. Burgh. Viva.* affectata, nisi
 ignorantia affectatâ foret tanta, ut æquipare-
 tur scientiæ. Ratio est, quòd ejusmodi verba
 videantur requirere directam legis cognitio-
 nem, & expressam voluntatem resistendi legi

cognitæ, ignorantia autem affectata non cognoscit clarè & directè legem, sed declinat ejusmodi legis cognitionem; huc etiam pertinet metus gravis, qui, quamvis non semper excuset à peccato, si nempe quis ex gravi metu v.g. mortis, mutilationis &c. operetur contra legem naturalem vel divinam; plerumque tamen excusat ab incurfione pœnæ five censuræ, nisi fortè incutiatur in contemptum Ecclesiæ vel Religionis; quia metu pressus non est contumax, nec peccat ex contemptu Ecclesiasticæ potestatis, sed ex infirmitate, neque cum tanto incommodo obligant leges humanæ. *Suar. Laym. La Croix l. 7. n. 98. Leur. l. 5 q. 556.*

Dicitur 6. *Per potestatem Ecclesiasticam.* Quia potestas ferendi censuras convenit soli Ecclesiæ, & quidem Jure divino, *Matth. 16. § 18.* quamvis institutio, atque etiam ipsa impositio censurarum sit de Jure humano Ecclesiastico; unde censuram tanquam pœnam spirituales non possunt infligere laici, sed soli, & omnes ii, qui in foro externo & contentioso habent jurisdictionem Ecclesiasticam ordinariam vel delegatam, seu qui suos citare & judicare possunt, veluti Papa, Episcopi, eorum Vicarii, Superiores Regularium. Excluduntur ab hac potestate 1. Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani &c. nisi ea illis competat ex commissione Episcopi, privilegio, consuetudine, *cap. 5. de Off. Archidiacon.* 2. Parochi suos censurare non possunt, quia non habent jurisdictionem externam, neque jus citandi, aut judicandi; potest tamen Parochus vi latæ ab Episcopo sententiæ excommunicatum prohibere ab ingressu

gressu Ecclesiæ, & remove à sacris, *Pyrrh. l. 1. t. 31. num. 141.* 3. Censuras ferre non possunt Abbatisæ, & quidem non posse excommunicare suos, patet ex *c. 12. de maj. & obed.* & quamvis ibi dicatur, quod Abbatisa Canonicos vel Clericos sibi subiectos ab officio, beneficioque suspendere valeat, tamen hæc suspensio propriè non est censura, cujus transgressio irregularitatem inducat, sed tantum subtractio fructuum, & prohibitio celebrandi. *Eng. num. 15.* & licet Abbatisa, omnesque fœminæ jure divino sint incapaces potestatis Ordinis, attamen incapacitas ferendi censuras est ex solo jure Ecclesiastico, & sicut Papa iis sæpè concedit privilegium conferendi beneficia; & instituendi, quod indubiè est jus aliquod spirituale, sic & absolutè concedere posset potestatem censurandi, maximè cum omnes fateantur eam concedi posse laicis, cur non Abbatisis.

12. Dicitur 7. *Per censuras auferri usum quorundam bonorum spiritualium.* Scilicet eorum quæ subsunt dispositioni, & administrationi Ecclesiæ, utpote Sacramentorum dispensatio, & perceptio, spiritualis jurisdictio, beneficia Ecclesiastica, suffragia, satisfactiones &c. Alia autem bona spiritualia privata, veluti dona gratiæ, fides, spes, character Sacramentalis, & similia, sicut directè non subsunt dispositioni Ecclesiæ, sic & per censuras non potest iisdem privare fideles,

13. QUÆR. II. Quotuplex sit censura. 1. Censura dividitur essentialiter & accidentaliter.
1. Essentialiter in tres species, excommunicationem, suspensionem, & interdictum. *cap. qua-*

quarenti 20. de Verb. sign. Ratio est, quòd tota essentia & definitio censuræ his tribus, & solis conveniat, non item depositioni, degradationi, aut irregularitati etiam ex delicto, nam hæc non irrogantur per modum pœnæ medicinalis, sed per modum pœnæ prioris delicti vindicativæ, & ex se perpetuæ, Bonac. n. 4. Hinc quando in Jubilæo datur potestas absolvendi à censuris, per hoc non datur potestas dispensandi in irregularitate, quamvis ex delicto contracta sit, Nav. in Man. cap. 27. n. 25. ubi testatur, hunc esse stylum Curia.

2do, accidentaliter dividitur censura in eam, 14. quæ ab homine lata est, & eam, quæ à jure; censura à jure lata dicitur, quæ fertur per Canones, aut statuta Ecclesiastica Lege stabili; hujus exempla passim in jure occurrunt, & his accensentur excommunicationes in Bullâ Cœnæ. Censura ob homine est, quæ fertur à judice aut Prælato, non per modum legis stabilis, sed per modum sententiæ judicariæ, aut mandati temporalis & transitorii.

3. Utraque dividitur in censuram latæ, vel ferendæ sententiæ. Censura ferendæ sententiæ est, quam jus, aut Judex non vult ipso jure, aut ipso facto incurri, sed per sententiam infligi. Latæ verò sententiæ, quam vult ipso facto, vel jure sine alia sententia incurri, ut cum utitur verbis, quæ ad præsens vel præteritum referuntur, v. g. *excommunicamus, suspendimus, sit excommunicatus, suspensus, excommunicationi se noverit subjacere*; vel etiam hæc clausulâ: *ipso jure, ipso facto*: si autem Judex vel lex utatur verbis futuri temporis, puta: *excommunicetur, suspendatur*, tunc erit sententiæ ferendæ, quæ etiam alio nomine

vocatur censura comminatoria ; quia legislator eam minatur delinquenti , tanquam primum per sententiam iudicis imponendam , si verba sint dubia , uti hæc : *anathema sit* : (hoc enim verbum penultimâ productum significat aliquid , vel oblatum , vel suspensum velut monumentum ad memoriam ; anathema penultimâ correptâ significat separationem , & idem est , quod excommunicatio , nisi quod fieri soleat cum certis ceremoniis ad majorem terrorem delinquentis) tunc nisi aliunde constet censuram esse sententiæ latæ , præsumitur esse tantum sententiæ ferendæ , nam dubia in mitiorem partem interpretari convenit , cap. 49. de R. 1. in 6. Laym. hic c. 2. n. 3.

16. QUÆR. III. An & qualiter censura possit ferre invalidè. R. Censura ab homine lata potest triplici ex capite esse invalida.

1. Si ferens censuram caret jurisdictione , aut ea per excommunicationem vel suspensionem publicè denuntiata sit pro tunc privatus ; dico : publicè denuntiata , aliàs non tollit jurisdictionem in foro externo , juxta X. Martini V. *ad evitanda Scand.*

17. 2. Si substantialis ordo iudicii non sit servatus , ut si censura sit lata in non citatum , non monitum non convictum. Nam quamvis à parte rei quis sit nocens , si tamen juridicè non probetur talis , a iudice validè censurari non potest , & quidem ipsa sententia , & causa sententiæ in scripto , quo exprimitur species censuræ , quæ infligitur , ferri & intrâ mensem reo tradi debet , aliàs ipse iudex suspenditur ab ingressu Ecclesiæ per mensem , cap. 1. eodem in 6. Scriptura tamen non est necessaria ad valorem : & Regulares privilegium habent non solis verbis sinè scripto censurandi , teste Pellon *supra* n. 79.

3. Si censuratus reverà sit innocens, censura
 est nulla, si tamen sit probatus nocens in foro ex- 18.
 terno, obligatur se habere pro censurato ratione
 scandali, & inobedientiæ, id enim postulat dis-
 ciplina publica, & autoritas superioris, quæ
 duo prævalere debent causæ privatæ: neque po-
 testas censurandi impeditur per appellationem,
 nisi interponatur ante sententiam. *cap. 1. §*
40. de appell. c. 2. de sentent. excomm. in 6. Post-
 quam censura validè in aliquem lata est, ejus
 effectus per sublequentem appellationem non
 suspenditur. *c. 37. § 53. de Appellat.* Si Judex 19.
 putans appellationem esse nullam, processerit ad
 censuram, censuratus autem bonâ fide celebret
 Missam, quamvis Judex superior postea pronun-
 taret pro sententia inferioris Judicis, tamen al-
 ter non ideo erit irregularis, quia nec teme-
 ritas, nec mala fides adfuit; debet tamen ex-
 ternè se gerere, tanquam censuratum, donec
 declaretur appellationem esse legitimam. *cap. ad*
presentiam de appell. c. solet de sentent. excomm.
in 6. Si malâ fide fuit appellatum, quamvis
 appellatio sit acceptata, tamen eâ stante cele-
 brans fit irregularis, quia celebrat censuratus. *La-*
ym. La Croix l. cit.

QUÆR. IV. Quid circa modum ferendi cen- 20.
 suras? R. Ut legitimæ ferantur, servanda sunt se-
 quentia.

1. Non statim, sed lentè, & circumspèctè
 tentatis primùm aliis mediis ad censuras præ-
 fertim excommunicationem procedendum est,
 ut optimè monet *Trident. ss. 25. c. 3. de re-*
form.

2. Quam-

2. Quamvis juxta *Pellitz. num. 78.* opus non sit præviâ monitione, si delictum, & ipsa contumacia sit notoria, tamen reus semper præviè citari, & audiri debet, ut habeat sufficiens tempus ad emendationem, vel præstandam satisfactionem, aut proponendam suam defensionem, aliàs sententia secuta est nulla est communis cum *Suarez. Navarr. de Luca de benef. disc. 60. num. 70.* Si reus legitime monitus & citatus persistat in sua contumacia, nominatim in eum fertur sententia, & ex tunc fit denuntiatio, hoc est censuræ executio & publicatio. Si censura sit incurta ipso jure, potest quidem Judex, non tamen tenetur talem denuntiare. Si verò quis sit nominatim excommunicatus ab homine, aut manifestus percussor Clerici, eum Judex obligatur denuntiare; fit autem denuntiatio publicè in Ecclesiis, & ex post in scriptis affigitur ad portas Ecclesiarum

La Croix à num.

75.



CASUS CXIV.

De Excommunicationis Materiâ,
Divisione, & ejus effectibus.

Brentius dubitat. 1. Quid sit Excommunicatio major, & minor. 2. Tolerati, & non tolerati. 3. Quid de percussione Clerici, qualiter debeat esse notoria. 4. Quid si uno loco sit notoria, non in altero. 5. Quando incurratur excommunicatio minor. 6. Quis sit ejus effectus. 7. An excommunicatus toleratus Sacramenta conferre possit. 8. An suscipere. 9. Quibus suffragiis privetur. 10. An interesse queat officiis divinis, & quibus. 11. An possit excommunicare, presentare, eligere, conferre beneficia, vel ea acciperet, matrimonio assistere. 12. An queat esse Judex, Advocatus, actor, Procurator, testis. 13. Quibus prohibitum sit cum eo communicare. 14. An privetur sepulturâ Ecclesiasticâ. Quinam amplius à sepulturâ excludantur? n. 15. Pro resolutione.

QUÆR. I. Quid, & quotuplex sit excommunicatio? I.

R. I. Excommunicatio est censura privans, vel separans hominem à Communione Ecclesiæ: est autem excommunicatio duplex, major & minor, minor tantum privat usu passivo Sacramentorum; major, quæ etiam Anathema dicitur, privat omni communionem, usu scilicet acti-

vo & passivo Sacramentorum, communibus Ecclesiae suffragiis, indulgentiis, & multis aliis, de quibus infra. In Jure quoties simpliciter dicitur: *sub excommunicatione*, semper intelligitur major, quamvis ceteroquin in odiosis, & penalibus mitior fieri debeat interpretatio, nisi jure expressè aliter statuat. *c. si quem 59, de sentent. excom. in 6. Eng. n. 29. h. t.*

2. 2. Excommunicatus excommunicatione majore alius est toleratus, quem non tenemur vitare; alius est non toleratus, quem ex præcepto Ecclesiae vitare obligamur, intellige, in politicis, id est, in convictu, colloquio, aliisque commerciis, vel maximè autem in usu Sacramentorum aliisque spiritualibus prout infra latius explicabitur. Hodie post X. Martini V. *ad evitanda scandala* nemo est vitandus, nisi notorius Clerici percussor, & is, qui est nominatim excommunicatus, & ut talis publicè denuntiatus, hoc est, verbo vel scripto in loco publico, ad quem populus convenire solet, promulgatus: nec sufficit, quòd publicè condemnatus sit criminis, v. g. Hæreseos, cui annexa est excommunicatio, sed ipsa pena excommunicationis debet publicè denuntiari, non enim ut criminofus, sed ut publicè & nominatim excommunicatus est vitandus. *Dicast. d. 2. n. 1.*

393.

3. 3. Ad hoc, ut percussor Clerici debeat vitari, non sufficit, quòd percussio sit notoria, & notoreitate juris per confessionem, probationem, aut condemnationem in judicio, sed debet esse notoria notoreitate facti, ita ut factum non possit aliquà tergiversatione, nec aliquo juris suffragio excusari, ut habet Concilium Constantiense.

hinc quamvis unus, aut etiam duo, vel tres alii viderint percussorem fieri, propterea non est obligatio percussorem vitandi. *Laym. hic c. 4. n. 2.* Idem est, si percussio facta sit in privatâ domo, v. g. coram 7. aut in Conventu Religiosorum, ut probabiliter docet *Dicast. n. 427.* Ratio est, quia factum nondum est simpliciter notorium, & pœnalia strictè interpretanda sunt, nec sufficit fama publica, nisi orta ex evidentia facti per testes occultatos, imò quamvis factum esset satis notorium, si tamen percussor aliquo juris suffragio se excusare possit, dicendo v. g. se vim vi repulisse, se ex vehementi passione iræ, vel ex ignorantia Statûs Clericalis percussisse, talis non esset vitandus. *Dicast. n. 429. Pirrh. num. 114. Hinc Pignat. l. 4. Consult. 133.* dicit regulariter requiri, ut talis percussor per iudicem denuntietur, alias poterit aliquâ tergiversatione vel excusatione celeri.

4. Si percussio vel denuntiatio excommunicationis in uno loco sit publica, in alio autem occulta, in loco, ubi est publica, publicè, in occulto, occultè vitandum esse dicunt *Henriq. Vasq. Eng. n. 50.* sed verius est, nullo modo esse vitandum extra locum publicitatis, *Avila, Sanch. Durand. apud Leur. l. 5. q. 561.* quia solus publicus percussor, & denuntiatus excommunicatus est vitandus, sed in tali loco non est publicus excommunicatus neque denuntiatus, ergo. *De percussore Clerici ex professo agam Casu seq. q. 1. & seq.*

5. Non toleratus tamdiu est vitandus, usquè dum verosimiliter constet eum esse absolutum, &

Q

qui-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. IV.

quidem in hac parte ipsi excommunicato, si ceteroquin sit vir fide dignus, credi potest. Nav. *Dicast. n. 406.*

5. QUÆR. II. Quid circa Excommunicationem minorem?

3. 1. Excommunicatio minor tum solum incurritur, quando quis in sacris, vel politicis communicat cum excommunicato non tolerato; communicare autem cum non tolerato in rebus sacris est mortale, nisi parvitas materiæ excuset communicare in politicis, si absit scandalum, est plerumque veniale, nihilominus propter huiusmodi veniale incurritur minor Excommunicatio. *Laym. c. 3. n. 4.*

6. 2. Effectus primarius Excommunicationis minoris est, privare usu passivo Sacramentorum, hinc, qui ante impetratam absolutionem (quam quivis Sacerdos approbatus dare potest) Sacramentum aliquod in Excommunicatione minore suscipit, peccat mortaliter, quia agit contra præceptum Ecclesiæ in materia gravi, ut habet communis & certa. Econtra Sacramenta active ministrare cum Excommunicatione minore, juxta *Castrop. Laym. l. c.* est veniale, juxta alios nullum, quia Ecclesiæ illis solum usum passivum Sacramentorum prohibet, non administratorem, & in odiosis non est facienda extensio, ideoque Celebrans in tali excommunicatione *in c. si celebrat.* dicitur peccare mortaliter, non quia conficit, sed quia suscipit Sacramentum.

3. Ignorans, vel bonâ fide non recordans Excommunicationis minoris, validè suscipit omnia Sacramenta, si tamen malâ fide procedat, Sacramentum pœnitentiæ suscipiet invalidè, non verò cætera, quia suscipiendo, actu peccat

viter contra prohibitionem Ecclesiæ, ideòque non habet dolorem, & propositum, quæ requiruntur ad valorem pœnitentiæ.

4. Alter effectus quasi indirectus est, quòd in minore Excommunicatione beneficia, uti & electio licitè acceptari, aut conferri non possint, & electio aut collatio facta saltem est irritanda, si quis scienter electus, vel se eligi passus est. *Castrop. supra Pirh. l. 5. l. 39. n. 23.*

QUÆR. III. Quales effectus habeat Excommu- 7.
nicatio major?

ꝛ. Seqq. I. Privat usu activo Sacramentorum, ità quidem, ut excommunicatus non toleratus in solo casu extremæ necessitatis Sacramenta licitè conferre possit, semper tamen confert validè, quamvis mortaliter peccet, excepto Sacramento pœnitentiæ, quod invalidum est defectu jurisdictionis, quam sustulit Ecclesia à non tolerato. Econtrà toleratus, si à fidelibus requiratur, & licitè, & validè confert, quia Concilium Constantense & X. Mart. V. permittunt fideles communicare cum tolerato: si tamen se sponte ingerat, & Sacramenta non requisitus conferat, peccat mortaliter, quia dicta extravagans non intendit favere excommunicatis, sed solis fidelibus, imò ex communiore sententiâ contra *Sanch.* ipsi fideles peccant petendo Sacramenta ab excommunicato, si ab alio commodè habere possint, quia hæc videtur esse mens Concilii Constant. *Eng. n. 63. Laym. Pirh. à n. 13.* Deinde excommunicati extra casus permisos exercentes actus Ordinis, fiunt irregulares, & si in Excommunicatione inforDESCANT, hoc est, cum pertinaciâ & contemptu toto anno persistant,

Q 2

fiunt

fiunt suspecti de hæresi, & contra eos ut tales procedi potest. *Trid. Sess. 25. c. 9.*

8. 2. Privat usu passivo Sacramentorum, ita ut excommunicatus Sacramentum quodcumque ante absolutionem suscipiens peccet mortaliter, si vè sit toleratus, si vè non. Imò Sacramentum Pœnitentiæ suscipiunt invalidè, quia accedunt cum actuali affectu ad peccatum, nisi excuset ignorantia invincibilis, metus mortis, gravis infamiæ, vel alterius magni mali, cum tantà enim jacturâ non videtur obligare pia Mater Ecclesia. *Avil. Suar. Cong. Laym. c. 2. num. 1.* & quamvis Confessarius teneatur primò absolvere à censurâ, si possit, tamen absolutio à peccatis, etiam manente censurâ, est valida, modò adsint omnia requisita ex parte pœnitentis. *Nav. Tolet. Dian. Pirrh. n. 15. V. cas. 98. num. 6.* Teneri excommunicatum petere absolutionem, ut satisfaciat præcepto annuæ Confessionis vel Communionis, dixi *cas. 6. n. 18.*

9. 3. Privat, etiam toleratum, omnibus suffragiis, sacrificiis, precibus, indulgentiis &c. quæ nomine Ecclesiæ Fidelibus applicantur. *c. à nobis 28. & c. sacris 48. de sentent. excom.* idque probabiliùs tenet, etiamsi per contritionem à culpâ & contumaciâ resipiscat. *Ratio est*, quia hæc pœna non per contritionem, sed per absolutionem Superioris tollitur. Dixi: *suffragiis*, quæ nomine Ecclesiæ &c. nam privatæ preces, uti & Memento in Missa iis applicari possunt. Insuper feriâ sextâ Parasceves, quo die Christus in Cruce pro suis inimicis oravit, etiam Ecclesia publicè & solemniter orat pro hæreticis ac schismaticis qui tamen sunt excommunicati. Item licitum est, solemniter orare pro extirpatione hære-

sum, & sic indirectè pro ipsis hæreticis, ut à Deo convertantur, & hujusmodi.

4. Excommunicati prohibentur interesse divinis officiis, quæ nomine Ecclesiæ publicè & solemniter fiunt, puta Sacrificio Missæ, publicæ Horarum Canoniarum recitationi, Processioni &c. quamvis privatim orare vel Concionem audire in Ecclesiâ, dum in eâ nullum Officium celebratur, excommunicatis non sit prohibitum. *c. responso 43. de sent. excom. c. ult. eodem in 6.* Neque excusantur excommunicati à recitandis privatim Horis Canonicis, quamvis nullos in pœnam fructus percipiant, hoc enim provenit ex eorum culpâ. *Tann. Laym. l. c.*

5. Non toleratus privatur omni usu, & exercitio jurisdictionis spiritualis, ità ut validè non possit excommunicare, absolvere, præsentare, instituere, eligere, leges aut sententiam ferre, alteri jurisdictionem delegare &c. & qui à non tolerato beneficium obtinet, habetur pro intruso, teneaturque beneficium dimittere; matrimonio tamen validè assistit, vel alteri hanc potestatem delegat Parochus non toleratus, suspensus, schismaticus, interdictus, modò non sit depositus, vel degradatus, quia assistere vel dare licentiam assistendi non est propriè actus jurisdictionis, sed tantùm est præstare suam solemnem præsentiam actui. *Plurimi cum La Croix l. 6. p. 3. n. 729.* Econtrà toleratus, quamvis hæc faciat illicitè, si non requiratur, tamen acta illius sunt valida, nisi per oppositam exceptionem repellatur. *Laym. Pyrrh. num. 18.* quia non caret jurisdictione, nec prohibetur communicare cum Fidelibus, saltè si requiratur; attamen Excommunicato etiam tolerato nullum beneficium

cium, per electionem, præsentationem, resignationem aut aliter conferri potest, etsi ipse conferens vel etiam acceptans nesciat se esse in excommunicatione, quia ignorantia non supplet invaliditatem actûs. Verùm de his vide *cas. 77. n. 21. cas. 79. n. 6. cas. 80. n. 19.*

12. 6. Excommunicatus nequidem in iudicio seculari potest esse Judex, Advocatus, Procurator, actor, testis aut tabellio, adeò quidem, ut omnia acta vitandi sint nulla, quia caret jurisdictione, & Judex vitandos ex officio à iudicio repellere debet, quia non potest cum iis communicare; toleratus verò, cujus excommunicatio est publicè nota, à iudice repelli potest, si tamen à iudice non repellatur, nec reus contra eum excipiat, ejus actus sunt validi, *Leur. q. 565. n. 8.* Posse autem reum in quilibet parte litis contra actorem excommunicatum excipere, non obstante, quòd hæc exceptio sit tantùm dilatoria, docet *Eng. n. 44.* modò excommunicatio intra 4. dies probari possit. De cætero excommunicatus quilibet ut reus in iudicio conveniri potest, ne ex delicto reportet commodum.

13. 7. Excommunicatis non toleratis prohibetur omnis communicatio spiritualis, civilis, & politica, seu quævis humana societas cum Fidelibus, ita ut non solum peccent excommunicati utentes consortio Fidelium, sed etiam ipsi Fideles graviter vel leviter pro qualitate materiæ delinquant, & Excommunicationem minorem incurrant, si contra necessitatem in spiritualibus, vel civilibus cum non toleratis communicent. Hæc autem communicatio exprimitur vulgari hoc versu:

Os, orare, vale, communio mensa negatur.

Per *Os* intelligitur omnis amica vel honorabilis salutatio, sive coram, per oscula, nutus, colloquia, amplexus, sive per literas & nuntium, juxta illud 2. Joan, 1. *Neque ei ave dixeritis*, ita ut juxta *Suar, Laym. c. 2. n. 16.* illicitum sit, etiam honoris causâ excommunicato assurgere, vel caput detegere, nisi fiat per modum resalutationis, hanc enim dicunt esse licitam, cum sit quasi solutio debiti. Per *Orare* intelligitur omnis communicatio in orationibus, & officiiis publicis Ecclesiæ, in quibus non licet communicare cum excommunicato, orando vel canendo cum illo, aut audiendo Sacrum: si non toleratus se ingerat, volens v. g. cum aliis interesse Sacrificio Missæ, debet moneri, & si sponte recedere nolit, novam excommunicationem Papæ reservatam incurrit, juxta *Clement. 2. de sent. excomm.* debêtque per vim expelli, aut si non possit, debent Fideles exire, & Sacerdos Canone nondum incepto abrumpere Sacrum? etiamsi populus obindè in die festo Sacrum non audiret. *Vale* comprehendit omnis generis valedictiones. *Communio* prohibet omnem societatem per contractus (quos tamen non invalidat) per cohabitationem, simultaneum iter, vel laborem, communem mensam, aut lectum &c. intellige, si hæc non casu aut præterintentionem, sed ex societate, aut familiaritate fiant. Hic autem notandum venit, quòd, ut dixi *q. 3.* communicatio in civilibus plerumque tantum sit veniale, in spiritualibus mortale, nisi excuset parvitas materiæ: imò sunt casus, in quibus nullum est peccatum agere cum excommunicatis non toleratis. 1. Si agatur de eorum conversione. 2. Si

urgeat necessitas vel notabilis utilitas; sic licitè ab eo repeto debitum. 3. Excusat conjunctio, vel subjectio; ex hoc capite licitè uxor agit cum marito excommunicato, filius cum patre, Religiosus cum Prælato, sed non ut Prælati seu Superior est. *Suar. Pyrrh. n. 122.* idèdque *La Croix n. 215.* cum aliis dicit, Religiosum peccare mortaliter, si aliquid agat animo obediendi suo Prælato non tolerato, quia hoc esset cum eo communicare in spiritualibus, & contra gravem Ecclesiæ prohibitionem in ipso agnoscere jurisdictionem, quam tamen sustulit excommunicatio, secus, si id faciat ex solâ urbanitate vel verecundiâ. Plura de hoc vide apud D. D. cit.

14. 8. Non toleratus privatur Ecclesiasticâ sepulturâ, ita ut neque in loco sacro aut benedicto, & ad sepulturam Fidelium destinato licitè sepeliri, vel à Clero solemniter ad sepulturam deduci, aut exequialia Sacra pro eo fieri possint, quia, cum quibus non licuit communicare in vitâ, cum iisdem nec post mortem communicare permissum est. *c. si Sacris 12. de sepult.* Sed quid, si familia potentis hæretici cum comminatione gravium malorum petat hæreticum sepeliri in loco sacro, an Parochus ad evitandum grave malum possit sepulturam concedere? R. Si tempus patitur, debet consuli ordinarius, si id fieri non possit, & sepultura non petatur in odium vel contemptum religionis Catholicæ, sed ad splendorem v. g. familiæ, vel quia proprium cœmeterium pro A catholicis non habetur, sepultura permitti potest, quia lex humana tunc cum tanto incommodò non obligat; *Engel l. 3. t. 31. n. 18.* quod maximè tenet in Germaniâ, ubi hæretici tolerantur, & non sciuntur esse formales

& cum toleratis communicare licet; ideoque Catholici funera acatholicorum licite comitantur. Imò in pluribus locis, ubi hæretici cum Catholicis simultaneum habent Religionis exercitium, sæpe eandem habent cum Catholicis Ecclesiam & cœmiterium. At poteritne Parochus metu gravis mali hæreticum sepelire more Catholico in cantu, stolâ, superpelliceo &c. ? R. Non posse, id enim esset externè profiteri hæreticum hunc fuisse mortuum in vera fide, esse dignum ritu Catholico. &c. nec obstat, quòd fortè sit hæreticus materialis, nam de hoc non constat, & acatholici habent eum pro ovis suâ; sicut ergo Parochus non posset pro tali legere Missam & habere exequias, ob manifestum scandalum apud fideles, sic nec sepelire ritu Catholico, foret enim hoc cum hæretico communicare indivinis.

QUÆR. Quinam amplius privandi sunt sacriâ 15. sepulturâ ? R. 1. Omnes Judæi & gentiles, & infantes sine baptismo mortui; in dubio, an infans parentis Christiani sit baptizatus, vel an sit validè baptizatus, non est privandus sepulturâ sacrâ; item si in utero maneat, cum matre est sepeliendus, quia pars matris esse censetur *Engell, c.*

2. Sepulturâ Ecclesiasticâ privantur omnes in peccato mortali v. g. furto, adulterio, ebrietate notoriè mortui, vel occisi. At quia vix unquam satis constat, an non saltem internè pœnituerint, non facilè poterit aliquis ex quâcunque præsumptione privari sepulturâ, sed expectanda est sententia judicis, aut sequenda erit consuetudo Diœcesis, in quâ quis est. Si coram uno, vel altero dedit signa pœnitentiæ, sepeliri debet, sed

Q 5

sed

sed pœnitentia præviè publicanda est ad tollendum scandalum. Item privantur sepulturâ, qui seiplos occiderunt ex ira, vel desperatione, secus, si ex mentis alienatione; si de hoc non factis constet, ut si quis in cubiculo suspensus, vel in puteum præcipitatus reperitur, consulendus est Episcopus, si commodè potest; si non potest, posset sepultura sacra permitti saltem de nocte sine consuetis solemnitatibus, ut suadet Engel, l. c. tum ut tollatur offensa populi, tum ut consulatur famæ defuncti & propinquorum.

3. A sepultura sacra excluduntur manifesti concubinarij, raptores, usurarii, nisi ante mortem signum pœnitentiæ, tundendo v. g. pectus invocando nomen JESU, &c. dederint. De mortuis in duello dixi Casu 35. num. 12. in dubio, hujusmodi res semper deferendæ sunt ad Episcopum vel, ejus Vicarium, etiam si aliqua pœnitentiæ signa præcesserint, idque ad evitandas plurimas inconvenientias meritò præscribit Agenda, Colon. edita Anno, 1720. pag. 156.

4. Sepulturâ privatur, qui non est confessus in Anno, nec communicavit in paschate; hæc tamen pœna requirit sententiam judicis, Palao tr. 21. p. 5. n. 14.

5. Religiosus proprietarius cum pecunia sua in sterquilino est sepeliendus c. super quodam de stam monach.

6. Denunciatus excommunicatus etsi maxima signa pœnitentiæ dederit, non ideo potest sepeliri in loco sacro, nisi præviè sit absolutus c. à nobis 28. de sentent excom. attamen post mortem corpus absolvi potest & debet, ut

fruiatur sacrâ sepulturâ & suffragiis Ecclesiæ, absoluitur autem iisdem verbis & ritibus, quibus vivus; latens tamen est verberari sepulchrum aut sarcophagum, si nondum est sepultus.

C A S U S C X V .

De Excommunicationibus reservatis.

*C*ato ex variis causis timet se excommunicationi obnoxium. 1. Quia adhuc impubes percussit Clericum. 2. Sed non portantem habitum clericalem, excommunicatum, degradatum, conjugatum, Eremitam, Novitium, conversum. 3. Ex odio, levitate, ignorantia, ex causa defensionis. 4. Clericum ejusdem secum Ecclesiæ. 5. Clericum turpiter agentem cum sorore sua. 6. Aquâ, luto conspersit, frenum equi eripuit, in foveam impulit, vi vel fraude crumenam eripuit, chartas pietas ejus vestibus assuit. 7. Percussit volentem, vel saltem percussorem non impedivit. 8. 9. 10. Dubitat, an possit absolvi ab Episcopo, si percussio sit vel non sit enormis, si Papam nequeat adire vel percussio non sit publica, aut deducta ad forum externum. 11. An Superiores Regulares absolvere possint suos, & seculares. 12. Quid si Religiosus percusserit Religiosum alteri Prelato subditum vel Clericum secularem, velecontra. 13. Quid de excommunicatione ob hæresin. 14. Quid de legente, imprimente, retinente libros hæreticos. 15. Quid, si

Au-

Author habeatur pro Catholico, aut legatur sola Epistola, vel Concio haeretica, 16. Quid si liber ex professo non tractet de religione, contineat tamen aliquas haereses. 17. An haec excommunicata uti & ipsa Bulla Coena recepta sit in Germania. 18. Quid si quis ex causa, vel affectata ignorantia ignoret librum esse haeticum. 19. Aut legatur parum, vel solum praemium, aut alius prelegat. 20. Aut librum exiguo tempore retineat vel alteri vendat. 21. Quid circa libros prima & secunda classis. 22. An Episcopi ab haereticis possint absolvere, & dare licentiam legendi libros haeticos. 23. Quid si Papa adiri non possit, possit autem scribi Romam. 24. Quid hic possint Praelati Regulares circa suos, & saeculares. 25. A quo libri prohibiti expurgari debeant? 26. Quid circa reservata per Bullam Coena?

Quemadmodum variae sunt causae, ob quas incurritur excommunicatio, ita & variae sunt excommunicationes, aliae enim sunt reservatae, aliae non reservatae, reservatae dicuntur, quarum absolutionem Superior (nempe Papa, Episcopus vel Praelatus Excommunicationem ferens) sibi reservavit: unde ab his nemo potest absolvere, nisi ipsemet ille Praelatus, aut illius Superior, vel qui commissionem absolvendi ab eisdem accepit. Non reservatae e contra sunt, quarum absolutionem sibi Superior non retinuit, unde ab his quilibet Confessarius approbatus absolvere potest, ut dicam infra *Cas. 116. n. 15. & seq.* inter reservatas vero sunt aliae reservatae Episcopis, aliae S. Pontifici, de plerisque egi sparsim suis locis: de Religioso dimittente habitum & de Clausura Monasterii, *Casu 64. num. 4. & 16.* De simonia *Casu 66. num. 35.* De poenis duellantium *Cas. 35. num.*

num. 11. De reservatis Ordinario & in specie Archi-Episcopo Colonienſi; *Item* de reservatis Papæ Casu 99. à num. 12. Pauca hic sunt addenda. De percussione Clericorum. De hæresi, lectione, retentione, impressione &c. librorum hæreticorum. De reservatis per Bullam Cænæ, & horum absolutione.

QUÆR. I. Quid in specie circa percussione[m] I. Clericorum.

R. C. si quis suadente 27. caus. 17. q. 4. ex Concilio Lateranen. referuntur hæc formalia: *Si quis suadente diabolo in Clericum vel Monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum præsumat ipsum absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

Dicitur 1. *Si quis*, per quam voculam intelliguntur omnes baptizati cujuscunque sexûs & conditionis, etiam impuberes peccati mortalis capaces, viri & scæminæ, Ecclesiastici & Laici, etiam ipse percussus, si nempe Clericus ex iracundia, desperatione, aut tædio seipsum graviter percutiat, mutilet, aliamve injuriam graviter Charitati sibi debitæ adversantem sibi inferat; quia verum est, eum manus violentas injecisse in Clericum cum injuria status Clericalis.

Dicitur 2. *Si quis Clericum vel Monachum*, 2. nomine Clerici venit omnis primâ tonsurâ initiatus, dummodo alicui Ecclesiæ deserviat, & habitum Clericalem gestet, quamvis sit excommunicatus, suspensus, verbaliter, & non realiter degradatus, aut etiam sit conjugatus cum unica virgine. c. unico de Cler. conjug. in 6. Nomine Monachi intelliguntur omnes Religiosi utriusque sexûs etiam conversi & Novitii, imò etiam Tertiarij

rii & Eremitæ, si sub certâ Regulâ & Superiore vivant; quia favores sunt ampliandi. *Suar. Avil.* & Theologi communiter.

3. Dicitur 3. *Suadente diabolo*, hoc est, injustè & illicitè, unde excusantur.

1. Qui non ex odio & malitiâ Clericum percutiunt, sed ex joco, levitate, ignorantia, aut ex justa causa v. g. ad se & sua defendenda, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ.

2. Qui id faciunt correctionis causâ, etiam si aliqua ira accedat, dummodo non excedatur in modo, sic Prælatus & Præceptor Ecclesiasticus in majoribus constitutus potest castigare Clericum peccantem etiam in majoribus constitutum. Prælatus potest id per se vel Clericum aut Monachum, non autem per Laicum sæcularem, *c. Universitatis 24. de sent. excomm.* nisi aliter corrigi, capi, vel incarcerari non possit, aut consuetudo habeat, ut id fiat per Laicum, *c. ut fama 35. V. Laici eodem*; quod probabiliter etiam extenditur ad patrem; quamvis *Malin. Laym. c. 5. n. 9.* probabilius teneant oppositum, eò quòd jura tantùm permittant patri castigare filium in minoribus constitutum.

4. 3. Socius percutiens socium ejusdem Ecclesiæ, cui ambo deterviunt tanquam acolythi, ostiarii &c. non incurrit excommunicationem, quia ob assiduam conversationem facilè fit, ut se invicem percutiant. *cap. ex tenore 10. de sent. excomm. Gl. lin. ibidem Abbas Pirrh. lib. 5. n. 68.* quod tamen alii sic intelligunt, ut socius percutiens socium, excommunicationem quidem incurrat, sed probatione non sit necessariò metuendus ad sedem Apostolicam, sed absolvi possit à suo Prælato Regulari, vel Clericus sæcularis à suo Episcopo.

4. Ab Excommunicatione excusatur, qui percutit Clericum turpiter agentem: vel etiam solum turpia oscula, tactus vel amplexus tractantem, cum matre, filiâ, sorore, vel uxore percipientis, modò percussio fiat in continenti, & non ex intervallo, tunc enim, quamvis percutiens peccet, percussio tamen non censetur esse facta suadente diabolo sed ex vehementi passione ob justum dolorem. *Suar. Pyrrh. num. 70. idque Schmaltzgr. l. 5. decret. l. 39. num 239. dicit esse verum, etiam si quis studio expectet turpiter agentem, ut percutiat, dummodo absit dolus, & num. 232. id meritò extendit ad omnem percussionem factam ex passione animo non plenè advertente, ut, si Clericus in lusu percutiat socium, quia pœnalia strictè accipienda sunt.*

Dicitur 5. *Violentas manus injecerit*, per quas particulas primò intelligitur omne opus externum, graviter injuriosum, aut quamvis secundum se sit quidem leve, attamen notabiliter contra Reverentiam Statui Clericali vel Religioso debitam, ut lapillis, aquâ, luto &c. conspergere, violenter arripere frænum equi, cui Clericus, vel Monachus infidet, persequi Clericum fugientem, ita ut in foveam vel fluvium incidat; eum detinere in custodiâ, ense, fuste vel aliter percutere, vulnerare, occidere etiam veneno, baculum, pileum, vestem &c. ei per vim eripere; secus est, si quis sine vi occultè crumenam abscindat, vestes in lecto jacentis auferat. *Laym. l. c. Eng. à n. 135. vestibus Clerici clam chartas pictas vel aliquid probrosi assuat, ut à populo rideatur &c. Aliud est, si per vim aliquam vel contumeliam realem id fiat, aliàs non potest venire sub violentâ injectione manuum.*

2. Ex-

7. 2. Excommunicationem incurrit, qui Clericum etiam volentem graviter percutit. Ratio est, quia hæc pœna est statuta non tam in favorem privati Clerici, quàm in favorem totius Ordinis Clericalis, cui favori privatus renuntiare non potest: propter eandem causam etiam excommunicationem incurrit Clericus seipsum ex irâ vel tædio vitæ graviter percutiens aut vulnerans, ut supra dixi n. 1. *Molin. Suar. d. 22. §. 1. num. 29. de Cens.*

3. Eandem incurrunt mandantes, consulentes, cooperantes, percussorem suo nomine factam ratihabentes, non impediens, si ex iustitiâ vel officio erant impedire obligati, ut Reges, Judices, Tutores, Patres, heri &c: Colligitur ex c. *quanta 47. de sentent. excomm. DD. cit.* An verò, si mandans (idem est de dante Consilium) mandatum revocaverit, sed revocatio mandatariorum ante effectum patratorum non innovaverit, & effectus scilicet percussio ex tali mandato adhuc secuta fuerit, an inquam talis mandans adhuc incurrat excommunicationem, controvertitur inter A. A. *Innocent. III. Hurtat. & Krimmer* dicunt non incurrere, quia non est in actuali contumaciâ, dum Censuram incurrere debet. Censura autem non incurritur sine actuali contumaciâ. Verùm *Bosco. Dicast. à Dript. Delbene* & alii multi apud *La Croix l. 7. n. 54. 61. & 303.* docent talem adhuc incurrere excommunicationem, etiamsi ob revocationem sui mandati & dolorem de illo, tunc fortè esset in statu gratiæ, quia ajunt sufficere, quod commissâ sit culpa, et vi cujus sequitur talis effectus, & ratione cuius mandans est vera causa moralis percussoris. Ad rationem de contumaciâ respondent, ad incurrendam

dam excommunicationem hinc sufficere inobedientiam & contumaciam illam, quæ continetur in ipso opere mandati, quod jus prohibet sub excommunicatione latæ sententiæ, si percussio sequatur. Aliud tamen esset, si revocatio mandatariorum innotuisset, vel mandans ante executionem mortuus esset. Quandonam autem percussio sit publica, & percussus ideo vitandus, dixi *cas. preced. à num. 3.*

QUÆR. II. Quis à percussione Clerici possit absolvere? 8.

8. Quamvis hæc excommunicatio sit Papæ reservata, ideòque ipse solus, vel ejus Legatus ab eâ regulariter absolvere possit, attamen in seq. Casibus etiam potest Episcopus.

1. Quando percussio non est enormis, *cap. pervenit 17. de sent. excom.* percussio autem enormis dicitur, quæ notabile vulnus, vel notabilem corporis maculam affert, aut quâ multi capilli extrahuntur, copiosus, & immodicus sanguis effunditur, vel percutitur persona in dignitate constituta, etiam tantum alapâ, velut Episcopus, Abbas &c. percussio verò non censetur enormis, si fiat pugno, palmâ, lapide non relincente vestigiis, quamvis aliquæ guttæ sanguinis è naribus effluant. *Mol. Dian. p. 9. l. 4. resol. 19.*

2. Ab Episcopo absolvi possunt omnes habentes justum impedimentum, quominus ad Papam vel ejus Legatum accedere possint, *Pyrrh. n. 82.* Item, qui non sunt sui juris, ut filii-familias, servi, Moniales &c. *c. mulieres 6. de sent. excom.* & quidem si impedimentum accedendi Papam sit perpetuum, simpliciter absolvuntur.

R

vun-

R. D. Janjen Theol. Moral. Tom. IV.

vuntur ab Episcopo, præstitâ cautione de parendo mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendo parti læsæ; & quidem parti læsæ debet satisfieri actu, vel si pro tunc non possit, debet saltem præstari cautio fide iussoria vel pignoratitia: Si verò impedimentum sit temporale, debet insuper ab omnibus, exceptis pueris, iuramentum exigere, quod absolutus, quamprimum potuerit, se velit sistere Sedi Apostolicæ, ut ejus mandatum de satisfaciendo Ecclesiæ suscipiat; quod si neglexerit cessante impedimento se præsentare, vel parti læsæ satisfacere, in censuram re incidet ipso jure, c. 11. 13. 58. de sent. excom.

10. 3. Possunt absolvere Episcopi, quando percussio est occulta, nec ad forum externum deducta, ad quod censetur deduci, si coram legitimo Superiore denuntietur, & citetur percussor *Regin. Pyrrh. n. 40.* quando nam autem percussio sit publica & percussus ideo vitandus, dicitur *cas. preced. à n. 3.*

11. 4. Prælati exempti, & participantes cum Mendicantibus in hac parte ferè eandem habent potestatem cum Episcopo, ità ut suos Religiosos (idem est de Monialibus) se invicem percussiones absolvere possint, si percussio non sit enormis, solent tamen Superiores Ordinum in Germaniâ, aliisque partibus multùm Româ distantibus, impetrare privilegio specialia suos etiam ab enormi percussione absolvendi, *Castropalao Eng. n. 149.* imò Religiosos participantes cum Mendicantibus de facto habere privilegium absolvendi ab omnibus Casibus, & Censuris extra Bullam Cœnæ reservatis, per consequens etiam à simoniâ, & percussione Clerici, non tantùm respectu suorum Religiosorum, sed etiam

am respectu Sæcularium, præstitâ tamen præviè satisfactione parti læsæ, docet *Spor. in Theolog. Sacram. p. 3. c. 6. à n. 740. Schmalzgr. n. 256. Bordonus de privil. cler. c. 21. à num. 327. & alii citandi casu seq. num. 18. & Ordinem Præmonstratensem communicare cum Mendicantibus, dixi cas. 71. n. 5.*

5. Si Religiosus percusserit Religiosum alteri 12. Prælato subditum, debet absolvi à suo Prælato, consentiente Prælato percussi, & utriusque consensu satisfactio imponi. *c. cum illorum 32. de sent. excomm.* Econtra si Religiosus percutiat Clericum sæcularem, debet absolvi ab Episcopo, cum consensu tamen Abbatis, si hic sit exemptus; quòd si Prælatus consentire nolit, præsumitur consensus Ordinis, in illo saltem casu, quo ipse Prælatus non habet potestatem absolvendi. *Cabassutius in Jure Can. l. 5. c. 1. num. 9.* Reliqua, quæ ad absolutionem à Censurâ faciunt, dabo *cas. seq.*

QUÆR. III. Quid circa Excommunicationem 13. propter hæresin?

1. Prima Excommunicatio Bullæ Cœnæ est in hæreticos, eorúmque fautores, defensores & receptores, ut autem hæc Excommunicatio incurratur, requiritur 1. ut hæresis non sit purè materialis, sed formalis cum pertinaciâ, ut explicavi *cas. 14. à n. 13.*

2. Ut exteriùs manifestetur, nam cogitationes purè internas non punit Ecclesia, & quidem actio manifestativa debet esse mortaliter mala, & fieri animo asserendi, vel profitendi hæresin; quapropter excommunicatus non est, qui ex bono motivo ad habendum consilium vel instructionem, hæresin internam aperit: qui

R 2

ideo

ideo non genua flectit, caput non denudat, quia internè neget Christum esse in Eucharistia præsentem, si hoc faciat in istiusmodi circumstantiis, vi quarum à videntibus iudicatur esse hæreticus, censetur externè profiteri hæresin, ideòque incurrit dictam Excommunicationem; secus, si alteri justæ excusationi, v. g. distractioni adscribi possit. *Azor l. 8. c. 10. q. ult. Sanch. l. 2. Mrral. c. 8. n. 7. § 17. Idem Sanch. c. 10. n. 9.* dicit, receptatores, auxiliares, defensores Excommunicationem tunc tantum incurtere, quando hæreticus ob præstitum sibi auxilium vel favorem reverà manus iudicis effugit, aut hæresin latius spargit, ejusmodi enim leges pœnales intelligendæ sunt *secuto effectu.*

14. QUÆR. IV. Quid circa Libros hæreticos?
R. Excommunicatio in hæreticos etiam extenditur ad eos, qui sine Authoritate Apostolicâ eorum libros hæresin continentes, vel de Religione tractantes scienter legunt, etsi legant ex intentione refutandi. & sine periculo perverbis, qui eos retinent, quomodolibet defendunt, imprimunt, hoc est, proximè concurrunt ad impressionem, ponendo typum, humectando chartam, subministrando sumptus &c. Ad hanc autem Excommunicationem incurrendam requiruntur 4. conditiones.

15. I. Debet Liber esse scriptus ab Hæretico, et si non sit impressus, quare non incurritur Excommunicatio, si legatur Liber scriptus à Catholico, vel ab eo, qui publicè habetur pro Catholico, quamvis textus scriptoris hæretici verbum habeat insertos, aut ipse liber etiam hæresin contineat, vel legatur animo dilcendi

hæresin, etsi tunc peccetur mortaliter. *Nav. Sanchez. c. 10. num. 23. Spor. t. 2. c. 3. n. 3.* Ubi id extendunt ad legentem Epistolam in causa Religionis scriptam ab hæretico, vel Concionem separatim editam, quia hæc propriè & usitatè non veniunt nomine libri, verba autem legis pœnalis strictè interpretanda sunt; sed probabiliùs est, quòd legens ejusmodi Concionem vel Epistolam etiam separatim editam excommunicationem incurrat. Ratio est, quòd hæc videatur esse intentio legis prohibentis, nam si ejusmodi Epistola aut Concio esset inserta libro hæretico, tunc unam vel alteram paginam legens juxta omnes excommunicationem incurrit, & Ecclesia prohibens librum hæreticum videtur prohibere omne scriptum aptum constituere librum, & hic ponitur liber velut species principalis pro genere, & ejusmodi scriptum separatum verè ad libros reducitur; accedit, quòd sic libri hæretici dissolvi & per sphos separatos ex toto legi & lex tam salutaris facilè eludi posset. *Pig. conf. 197.*

2. *Requiritur, ut liber vel hæresin contineat, 16. vel ex professo de Religione tractet*, videlicet explicando Scripturam, vel Casus Conscientiæ de Sacramentis, Statu Clericorum & Monachorum, de Dei & Sanctorum cultu & similibus disputando. Unde deducitur 1. Hac prohibitione non comprehendi libros infidelium, videlicet: Turcarum, Judæorum & quorumlibet non baptizatorum, quia non sunt libri hæretici. 2. Non comprehendi libros hæreticorum historicos, poëticos, medicos & similes de Religione ex professo non tractantes, nec hæresin continentés; si tamen vel unam hæresin etiam obiter contineant, totus liber est prohibitus, usque dum per inqui-

si-

fitores fuerit purgatus, quia tenor Bullæ prohibet omnes libros hæreticorum disjunctivè, si vel de Religione tractent, vel hæresin contineant, ergo ad incurrendam excommunicationem sufficit unam partem verificari. *Laym. l. 2. t. 1. c. 15. num. 4. Pyrrh. l. 5. t. 7. num. 20. Engel ibidem num. 9.* dicunt in partibus nostris Septentrionalibus, ubi non habentur inquisitores Fidei, Bullam non esse in tanto rigore receptam, sed libros hæreticorum Historicos, Mathematicos & similes de Religione ex professo non tractantes, etsi hic & nunc hæresin aut calumnias in Clerum vel Ecclesiam insertas habeant, ut Geographia Mûnsteri opera Erasmi Roterodami, exceptis quibusdam ejus colloquiis, sine expurgatione legi posse, nisi sub schemate historico vel simili, præcipuum eorum institutum esset, Ecclesiam convellere, Statum Ecclesiasticum calumniari, veluti Sleidanus, Aventinus, aliqua opera Mûnsteri & hi utique sub excommunicatione manent prohibiti.

17. In multis Germaniæ Provinciis ipsam Bullam Cænæ non esse usu receptam, ideoque nec obligare testatur *Becanus 2. 2. c. 15. q. 2. num. 6. March. in tribun. tom. 2. tr. 4. q. 8.* Ratio esse potest primò, quòd Bulla Cænæ in multis locis Germaniæ non sit publicata, debere autem Bullas, præsertim circa Censuras, ut obligent, per Ordinarios publicari in partibus, patet ex *c. cum infirmitas 13. de pœnit. & remiss. 2.* Legi Pontificiæ obediendum quidem est, attamen contra eam etiam admitti causas, vel consuetudines rationabiles, constat ex toto titulo de consuetudine, & quamvis sit irrationabile, ut crimina in Bulla Cænæ damnata licitè & impunè committantur, tamen non est irrationabile, ut in locis longè

Româ dissitis ista crimina ob difficilem accessum ad Papam non sint reservata, ideoque quoad hoc in his partibus, potest esse consuetudo rationabilis, quamdiu Papa non contradicit. *V. Engel l. 1. decret. de consuet. § l. 5. tit. 39. à nu. 122.*

3. Requiritur, ut ejusmodi libri legantur, retineantur, imprimantur, & defendantur *scienter*, nam ignorans librum esse hæreticum, etiam crassâ aut quodammodo affectatâ ignorantia, modo non sit cum ingenti temeritate conjuncta, ut si esset fama publica de prohibitione libri, & tamen quis credere aut inquirere nollet, excommunicationem non incurrit. *Tamb. Pyrrh. Krimer l. 5. num. 728. Vide quæ dixi Casu CXIII. num. 9.*

4. Legi debet materia notabilis & sufficiens ad mortale, & quamvis *Sancti. Rodrig.* aliique dicant non sufficere integram paginam majoris voluminis, attendendam tamen puto materiam, nam si liber frequentes contineat hæreses, etiam aliquot lineas legere erit mortale, ut habet communior cum *March. & Sporer num. 28.* quia tunc est majus periculum perversionis; si tamen non ita frequentes habeat hæreses, aut legatur materia indifferens, locum habet sententia *Sanchez.* De cætero non tantum prohibetur ipse liber, sed & præmium aut Epistola ad lectorem, si in sufficiente quantitate legantur, idque tenet, sive per te legas, sive per alium tibi prælegi facias, quia tunc lectio fit nomine tuo. Aliud est, si te non inducente alius legat, & tu nudè auscultes. *La Croix cum multis hic num. 342.* Deinde sicut in legente requiritur materia notabilis, sic & in retinente tempus notabile, non enim statim peccat mor-

taliter, qui per unum alterumve diem detinet cum animo tradendi inquisitoribus, sed si tamdiu, ut moraliter censeatur non habere animum tradendi; nec refert, sive per se, sive per alium detineat, Dixi: animo tradendi inquisitoribus, uti præcepit Julius III. & Pius IV. ubi tamen non viget inquisitio, satis est, si comburatur, imò si quis habeat libros hæreticos ex hæreditate, *Florent. de Cocq. in princip. Theol. l. 4. c. 4. S. 3.* dicit eos posse vendi Bibliopolæ hæretico, vel mutare erga libros Catholicos ad evitandum grave damnum; item dicit *Less. in auct. cas. 21.*

21. QUÆR. V. Quid circa indicem librorum prohibitorum.

R. Ut Fideles scirent, quos libros vitare debeant, Ecclesia confici jussit indicem librorum prohibitorum, eumque divisit in duas partes, in prima ponuntur omnes libri hæreticorum, qui vel hæresin continent, vel tractant de Religione, hi omnes prohibentur sub excommunicatione in Bullâ Cœnæ reservatâ, huc reducuntur omnes libri hæresiarum, quamvis nec de Religione agant, nec hæresin contineant, at tamen tunc non prohibentur sub excommunicatione reservatâ. Ad secundam classem reducuntur, & prohibentur sub excommunicatione non reservatâ omnes libri Astrologiæ judiciaræ, seu divinationes de futuris contingentibus, libri tractantes ex professo obscœna, magica &c. Item regulâ quartâ indicis, etiam prohibentur legi S. Biblia vulgari idiomate, sinè Episcopi vel inquisitoris licentia; sed prohibitionem secundæ classis in Germania non esse receptam testatur *Laym. supra num. 8.* quia à majori parte non observatur, & non est, qui observantiam urgeat.

QUÆR.

QUÆR. VI. Quis possit absolvere ab hæ- 22.
resi, & dare licentiam legendi libros hæreti-
cos?

R. 1. In his partibus ab hæresi aliisque casibus
sive in, sive extra Bullam Cœnæ S. Pontifici refer-
vatis absolvere, & licentiam libros hæreticos le-
gendi, retinendi, & prohibitos corrigendi &c.
dare possunt Episcopi & Nuntii Apostolici, &
quamvis hæc potestas Episcopis à Trid. concessa
loquatur tantum de delictis occultis, ad forum
contentiosum non deductis, & insuper hæc facul-
tas probabilius videatur revocata per Bullam Cœ-
næ, uti nunc docet communis cum *Suar Garcias*
Barbosa Leuren. l. 5. q. 200. testanturque sic de-
clarasse Gregorium XIII. & Clem. VIII., tamen
in Germania, ubi est multitudo hæreticorum, &
difficilis ad Papam accessus, casus Papales proba-
biliter fiunt Episcopales, ita ut Episcopi ab hæresi
occultâ & publicâ pro foro in- & externo quâ dele-
gati Sedis Apostolicæ, abjuratâ prius hæresi, &
injunctâ pœnitentiâ, per se, & delegatos suos ab-
solvere possint. *Nav. Sylv. Covarr. Felin. Laym.*
Pyrrh. l. 5. tit. 7. num. 42. Schmaltzgr. ibidem
num. 372. quod si præsens sit Legatus Apostolicus,
probabiliter hic adeundus erit, quamvis & tunc
adiri posse Episcopum probabiliter censet *Laym. l.*
1. t. 5. p. 2. c. 6. num. 6. Hoc certum est,
Episcopos non posse absolvere hæresiarchas,
seu novæ hæresis authores, neque relapsos in
hæresin, nequidem in foro conscientiæ. *Pyrrh.*
loc. cit.

2. Si Papa vel ejus Legatus adiri non pos- 23.
sit personaliter, possit autem scribi Romam pro
absolutione saltem per Confessarium vel alium,

R 5

non

non posse tunc absolvere Episcopum, docet Bonnac. & La Croix l. 7. num. 143. ubi testatur sic habere praxin, sed oppositum probabilius docent Sanch. Palao, Dicast. Schmaltzgr. Reiffenst. n. 393. Ratio est, quòd jura solùm exigant, ut reus personaliter adeat Papam, ergo si hoc non possit, ad aliud à jure non impositum minimè tenetur, & cùm ferè semper sit occasio scribendi Romam, saltem per Confessarium vel Parochum, casus Papales vix unquam fierent Episcopales, quod est contra communem.

24. 3. Certum est, Prælatos regulares non posse absolvere sæculares ab hæresi etiam occultâ, quia Alexand. VII. damnavit hanc 4. propositionem: *Prælati regulares possunt in foro conscientie absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occultâ & ab excommunicatione propter eam incurâ.* An verò possint absolvere suos, vel iis facultatem dare libros hæreticos legendi, est difficile definire, eò quòd privilegia, si quæ hac in parte habuerint, per Gregorium XV. sint revocata, quam revocationem innovavit Urban. VIII. 2. Aprilis 1631. La Croix à num. 389. adducit multa pro & contra, & nihil audet definire, quamvis testetur multos & viros doctos & sapientes à suis Provincialibus, & Generalibus variorum Ordinum ejusmodi licentiam sine scrupulo petere & impetrare; dicendum igitur videtur cum Schmaltzgr. & multis, quos ipse citat & sequitur num. 208. quod Superiores Regularium; vi privilegiorum antiquorum, suos non possint ab hæresi absolvere, aut suis dare licentiam legendi aut retinendi libros hæreticos, sed solent Ordines Religiosi post supradictas revocationes Romæ petere & impetrare, saltem ad tempus, nova

nova privilegia absolvendi suos, & dandi suis licentiam legendi libros prohibitos, ut testatur *Engel supra n. 12.* & *Henno de pœnit. d. 9. q. 1.* dicit Regulares in Belgio suos apostatas per seipfos absolvere etiam ab hæresi externâ; eamque praxin etiam in Germaniâ vigere dixi sup.

4. Expurgatio librorum prohibitorum secundæ classis (nam Libri hæretici primæ classis expurgari non permittuntur) in Germaniâ, ubi index quodam secundam classem in tali rigore non est receptus, fieri potest per quemlibet hominem doctum, quamvis utique melius foret, si fieret Authoritate Episcopi vel Superioris. *Laym. l. c.*

QUÆR. VII. Quid circa reservata per Bullam 26. Cœnæ?

R. 1. Cum de hac Bullâ frequentior per decursum facta fuerit mentio, præsertim *cas. 99. q. 5.* sintque Censuræ in illa contentæ inter reservatas ferè celeberrimæ, Casus per illam reservatos hic breviter subjungere non abs re esse fuit visum. Dicitur autem Bulla Cœnæ, quia singulis annis feriâ quintâ Cœnæ Domini publicari solet & renovari. Ejus exemplar tum in Ritualibus Diœcesanis, tum etiam in Bullario Romano, atque aliis Libris & Authoribus præsertim apud *La Croix l. 6. p. 2. n. 2054.* reperitur, estque Bulla satis longa. Casus verò & Excommunicationes in illâ reservatæ sunt sequentes:

1^{mo} Excommunicantur hæretici, apostatæ à fide, receptores, fautores & defensores hæreticorum, legentes eorum libros de Religione tractantes, imprimentes, defendentes, & schismatici. De hac excommunicatione & quis ab ea absolvere possit, jam satis dictum est *sup. q. 3. & seq.*

2^{dò}

2dò Appellantes à sententiis & mandatis summi Pontificis ad futurum Concilium generale, si appeller Universitas, Capitulum vel Collegium, sunt ipso facto interdicta.

3tò Piratæ, seu latrunculi maritimi discurrentes per mare pontificium, eorumque fautores &c,

4tò Rapiætes bona naufragantium Christianorum ubivis terrarum, sub quocunque prætextu, etiam quod in littore inventa forent,

5tò Imponentes nova pelagia, gabellas & tributa, præter habentes authoritatem ad hoc, ut sunt Imperatores, Reges & Principes absoluti Domini in terris suis.

6tò Falsificantes Litteras Apostolicas.

7mò Deferentes arma, & alia usui Bellico idonea (quibus fideles sint impugnandi) ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, vel etiam Hæreticos expressè & nominatim à Sede Apostolica declaratos.

8vò Impedientes eos, qui victualia, aut alia necessaria Romam vehunt.

9nò Afficientes injuriis eos, qui accedunt ad Sedem Apostolicam, in Curiâ morantes, & inde redeunt.

10mò Vexantes sive injuriosè tractantes Romipetas, id est, eos, qui devotionis causa Romam petunttes.

11mò Hostiles aggressores Cardinalium, Patriarcharum, Archi- & Episcoporum, S. Sedis Legatorum & Nuntiorum, aliorumque Ecclesiæ Prælatorum; & eorum fautores.

12mò Qui vexant & molestant pro causis suis Romanam Curiam accedentes, vel etiam horum Agentes, Advocatos, Procuratores &c.

13^{to} Appellantes à gravamine, vel futurâ executione litterarum Apostolicarum ad Laicam potestatem.

14^{to} Officiales & alii, qui causas Ecclesiasticas avocant à iudicibus Ecclesiasticis, aut eos has decidere impediunt.

15^{to} Iudices sæculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt.

16^{to} Impedientes sive indirectè sive directè Prælatos Ecclesiasticos, ne jurisdictione suâ Ecclesiasticâ juxta præscriptum Canonum & Tridentini utantur. Item iudices, qui sic impediens, & ad se recurrentibus deferunt.

17^{mo} Usurpatores jurisdictionis, fructuum, & reddituum Ecclesiarum, eòsque sequestrantes.

18^{vo} Imponentes decimas vel alia onera personis & bonis Ecclesiasticis, horùmque fautores.

19^{no} Iudices sæculares, eorùmque adjutores & executores, in causis criminalibus seu capitalibus Clericorum sese interponentes.

20^{mo} Denique invadentes, occupantes, destruentes & detinentes bona & terras Ecclesiæ Romanæ, & supremam jurisdictionem in illis usurpantes. Circa has Censuras.

R. 2. Notanda esse sequentia:

1. Quod sint specialissimè reservatæ; idèdque nullus quantumcunque privilegiatus sive Episcopus, sive regularis, nisi speciali privilegio munitus, ab illis absolvere possit, solo mortis articulo excepto, ut constat *ex supra dictis*.

2. Quòd nulla contra hanc Bullam valeat consuetudo vel prætextus, idque eò magis, cum annuatim publicetur, & quasi de novo feratur. Quamvis tamen sint nonnulli, qui dicant hanc Bullam in multis Germaniæ Provinciis, ob defectum

atum

ctum promulgationis in illis factæ, non esse usæ receptam, ideòque nec obligare. Vide dicta hic supra n. 17.

3. Quod absque legitima autoritate vel potestate à Censuris hujus Bullæ absolvens ipso facto incurrat excommunicationem; nam Pontifex circa finem citatæ Bullæ Cœnæ addit: *Quod si forte aliqui contra tenorem presentium, talibus excommunicatione vel anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto presumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus.* Circa quæ verba rectè notat Navarr. apud Reiffenst. hic dist. 2. n. 57. & alii, quod hæc excommunicatio, ejusque absolutio non sit reservata Papæ; cum talis reservatio ex littera non pateat. Deinde quod hanc excommunicationem non incurrat, ille Confessarius, qui oblivione, incogitantia, vel ignorantia non affectatà absolvit: quia dicta Excommunicatio fertur solùm in eos, qui absolutionis beneficium impendere de facto (de jure enim talis absolutio non tenet ob defectum jurisdictionis, cum obstet reservatio) presumpserint, hoc est scienter ac deliberatè, non obstante isthac Constitutione attentaverint. Vide dicta cas. 113.

num. 9.



CASUS CXVI.

De Suspensione, Interdicto & Absolutione à Censuris.

DArius Clericus interrogatur. 1. Quid sit suspensio, depositio, degradatio. 2. Quotuplex. 3. Quid si suspensus ministret in officio, vel beneficii fructus percipiat. 4. An suspensus in unâ Diœcesi sit suspensus in aliâ. 5. Ex quibus causis incurratur suspensio; an Religiosi ab eâ absolvere possint. 6. Quid sit interdictum. 7. Locale, personale, mixtum. 8. 9. 10. 11. Quæ officia divina tempore interdicti prohibita. 12. Quæ Sacramenta. 13. Qualiter sepultura Ecclesiastica. 14. Quæ pœna violantium interdictum. 15. Quis à censuris absolvere possit; an ligati ab inferiore Pralato possint extra visitationem vel appellationem solvi à Superiore. 16. Quid de articulo mortis, & an tunc absoluti adhuc teneantur se sistere Superiori. 17. Quis absolvat à censuris non reservatis. 18. Quid circa reservatas possint Regulares. 19. Quid tempore jubilei. 20. Quid circa casus Bullæ Cœne possint Episcopi & Regulares. 21. Quis ritus absolvendi a censuris? Pro Resolutione.

QUÆR. I. Quid, & quotuplex sit suspensio, I. & ejus effectus?

R. 1. imò. Suspensio est Censura prohibens Clerico functiones Ecclesiasticas: ut tamen propriè sit Censura, debet esse medicinalis, hoc est, debet tantùm ferri ad tempus per modum

mo.

monitionis, ut desistat à contumacia. Item debet regulariter, sicut & aliæ Censuræ, ferri in scripto; si fiat verbaliter, aut feratur purè ad puniendum delictum præteritum, vel feratur in perpetuum, non est propriè Centura, seu poena medicinalis, sed vindicativa, ideòque in ea exercens functiones Ordinis non incurrit irregularitatem, & ejusmodi privatio officii vel beneficii in perpetuum, si fiat verbaliter, est depositio; si fiat realiter, est propriè degradatio, privatque privilegio fori & Canonis, & subdit Clericum judici sæculari, non tamen absolvit à votis aut lectione Horarum Canonicarum, etsi inde nihil percipiat, id enim suâ culpâ contingit.

2. 2. Suspendio alia est totalis, quâ quis suspenditur ab officio, & beneficio, hoc est, ab omni exercitio Ordinis, jurisdictionis, officii &c. & perceptione fructuum; alia est partialis, quâ quis suspenditur à solo officio, vel solo beneficio, aut ab uno vel altero actu, à perceptione aliquorum fructuum &c. Suspendus ab officio non est suspendus à beneficio; item suspendus ab una functione, v. g. ab auditione Confessionum, non est suspendus ab alia, v. g. à Celebratione Missæ. Similiter suspendus ab Ordine non est suspendus à jurisdictione, & econtra suspendus à jurisdictione potest ea facere, quæ merè sunt Ordinis, ut celebrare, absolvere, in Altari ministrare, quia suspendio ut poena est strictè interpretationis. *c. odia de Reg. juris in 6.* Suspendus tamen simpliciter ab officio centesimè suspendus tam ab Ordine, quàm jurisdictione, quia officium complectitur utrumque. *Suarez de cens. d. 26. sect. 3. nn. 4.* Denique simpliciter

& indefinitè suspensus intelligitur suspensus ab officio, & beneficio, nisi aliundè colligatur aliqua limitatio, quia propositio indefinita æquivaleret universali. *Laym. hic n. 7.*

3. Suspensus ab officio, si se eidem ingesserit, 3. irregularitatem incurrit, dico: *Si se ingesserit*, nam sicut dixi *cas. 114. n. 7.* quòd excommunicatus toleratus licitè possit administrare Sacramenta, si Fideles ex rationabili causa ab eo peccant, sic & suspensus ad rationabilem aliorum instantiam licitè potest exercere actus Ordinis & jurisdictionis; per consequens, nec irregularitatem incurret, at verò suspensus à beneficio, si eidem se ingerat & fructus percipiat, non quidem efficitur irregularis, perdit tamen beneficium ipso jure. *c. cupientes 16. de elect. in 6.* Solet proinde suspenso dari œconomus, qui redditus colligat, & eisdem jussu Episcopi in pias causas expendat; debentur tamen suspenso alimenta necessaria, uti & illa quæ acquirit non ex beneficio, sed ex privato labore, v.g. concionando, Missas legendo.

4. Si quis habeat beneficia in diversis Diœcesibus, si suspendatur à beneficiis ab uno Episcopo, non censetur suspensus à beneficio, quod 4. habet in alia Diœcesi, quia sententia pœnalis non est extendenda, quamvis Episcopus etiam possit suspendere à beneficiis extra Diœcesin obtentis, *arg. c. postulasti 14. de foro compet.* Econtra suspensus ab Ordine vel Officio ubique existens, prohibetur actus officii exercere, usque dum absolvatur, quia hæc suspensio directè afficit personam: an autem & quando suspen-

S

penſi

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. IV.

penſi prohibeantur eligi & eligere, conferre beneficia & acceptare, dixi *de benef. caſ. 3. & 4.*

- ſ. 5. Ut incurratur ſuſpenſio ſaltem totalis, requiritur peccatum mortale; incurritur autem ſuſpenſio. 1. Si quis S. Ordines ſuſcipiat ſine legitimâ ætate, ſine titulo, extra tempora, non ſervatis interſitiis, aut ordinetur ab alieno Epifcopo ſine demifſorialibus, aut à proprio in aliena Diœceſi, aut ſaltem in actuali cenſura, poſt matrimonium ratum &c. niſi id fiat ex ignorantia. 2. Qui ordinant aut ordinantur ſimoniacè. 3. Eligentes Epifcopum indignum ſuſpenduntur à beneficio ad triennium. 4. Parochi copulantes ſine licentia ſponſos alterius Parochiæ. 5. Viſitatores accipientes pecuniam vel munera, & plures alii, de quibus dixi ſuis locis.
6. Religioſi communiter habent privilegium pro foro conſcientiæ ab omni ſuſpenſione juris, etiam Papæ reſervatâ, proveniente ex delicto occulto. *Krim. l. 5. n. 203.*

6. QUÆR. II. Quid circa Interdictum?

ꝛ. Interdictum eſt cenſura in locum vel perſonas lata, prohibens divina officia, quædam Sacramenta, & ſepulturam in loco ſacro: differt ab excommunicatione & ſuſpenſione, quod excommunicatione privet bonis ſpiritualibus, quatenus ſunt communicatio cum Fidelibus; ſuſpenſio iis privat, quatenus proveniunt ex poteſtate aliquâ Eccleſiaſticâ, ideòque in ſolis Clericis locum habet, at verò interdictum privat illis bonis, quatenus ſunt ſpiritualia independenter à communicatione cum Fidelibus. Deinde interdictum ferri poteſt in locum & communitatem, ità ut comprehendat etiam innocentes

excommunicatio tantum in certas, & determinatas personas nocentes.

Dicitur 1. *Censura in locum vel personas lata*, 7. nam interdictum dividitur.

1. In locale & personale; locale est, quo immediatè ipse locus interdicitur, ne divina ibidem celebrentur, vel aliæ functiones prohibita fiant sive ab indigenis, sive ab alienigenis; personale interdictum est, quo immediatè interdicitur persona, non locus, ideòque illæ personæ nec hic nec alibi functiones interdicto prohibitas exercere possunt. Addunt alii interdictum mixtum, quo scilicet locus & personæ immediatè interdiciuntur, v. g. civitas & ejus incolæ.

2. Interdictum tam locale, quàm personale 8. subdividitur in generale & particulare. Interdictum generale locale est, quo interdicitur locus generalis, id est, unus plura loca complectens, ut regnum, civitas, villa vel castrum, juxta *c. cum in partibus 17. de Ven. Sac.* & quidem castro vel oppido generaliter interdicto, etiam interdiciuntur suburbia & continentia ædificia, quamvis propriis muris sint determinata & distincta, ne facillè eludatur interdictum, si prohibitis divinis Officiis in civitate populus excurrat ad ea in suburbiis audienda. *c. si civitas 17. de sent. excom. in 6.* Interdictum locale particulare est, cum interdicitur locus particularis, v. g. una vel plures partes Ecclesiæ; interdictâ Ecclesiâ interdicitur cœmeterium & sacellum contiguum seu muris Ecclesiæ cohærens, non autem separatum.

3. Interdictum generale personale est, quo directè interdiciuntur homines in communi, prout

constituunt unum corpus politicum, v. g. populus unius Provinciæ, civitatis vel oppidi, Item Collegium, Capitulum, Universitas; ejusmodi interdictum obligat omnia & singula membra, quamdiu manent membra communitatis, & si non sit mixtum, sed purè personale, afficit solos homines, ideòque locus ipse vel Ecclesiæ in tali loco existentes non erunt interdictæ, quin in iis à non interdictis divina celebrari, & ad ea viatores peregrini aliique, qui non sunt membra communitatis interdictæ, vel permutationem domicilii deserunt esse membra, admitti possint, dummodo clausis ostiis vel aliter arceantur interdicti, & quidem, qui affecti sunt interdicto personali generali, nullibi possunt divinis interesse, neque in loco proprio, neque alieno, etiamsi sint innocentes; econtrà in interdicto locali generali innocentes, qui per consilium, auxilium, favorem aut aliter interdicto causam non dederunt, possunt extra loca interdicta divinis interesse: aliud est de nocentibus, nam respectu horum interdictum locale continet personale, ità ut nec in nec extra locum interdictum divinis interesse possint: hoc tamen notandum est, quòd interdicto populo, non intelligatur interdictus Clerus, vel econtrà, nec interdicto Clero intelligantur interdicti Religiosi, quia hi in odiosis non veniunt nomine Cleri. Item interdictis Clericis vel Religiosis non sint interdictæ eorum Ecclesiæ, ideòque alii in iis poterunt celebrare, & divinis interesse.

10. Covar. in c. Alma Mater p. 2. §. 1. n. 7. Interdictum personale particulare est, quando non tota aliqua communitas, sed singulares personæ, una vel plures interdicuntur, quamvis eorum

rum nomina non exprimantur, hoc comprehendit solos nocentes, causa autem interdicti debet esse crimen enorme, præsertim Principis vel Magistratûs, ut si civitas det auxilium, vel consilium, ut Cardinalis vel Episcopus occidatur, aut invitus detineatur, aut lædatur immunitas Ecclesiastica gravando Clericos &c.

Dicitur 2. *Prohibens divina Officia*, hoc est, Sacrificium Missæ, Horas Canonicas choraliter recitandas, benedictionem Episcopi vel Abbatis &c. hoc tamen ita mitigavit Bonifacius VIII. in c. *Alma Mater* 24. de sent. excomm. in 6. ut in Ecclesiis, quæ specialiter interdictæ non sunt, quamvis existant in loco generaliter interdicto, sive sint Regulares, sive sint Sæculares, singulis diebus Missæ & Officia (intellige à Clericis vel Religiosis personaliter non interdictis) celebrentur sicut prius, *submissâ tamen voce, januis clausis, excommunicatis & interdictis expulsis, & non pulsatis campanis, ita ut Canonici & alii Clerici, qui Horis non intersunt, amittant quotidianas distributiones, sicut illas perderent, quando non est interdictum, si divinis Officiis non interessent.* Porro in festivitibus Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes (quod probabiliter ad totum triduum horum festorum extenditur) Assumptionis B. M. Virginis, quibus Martinus V. addit Festum Corporis Christi cum Octava, campanæ pullentur, & januis apertis altâ voce *solemniter celebrentur divina Officia, exclusis excommunicatis, sed admissis interdictis, quibus ob reverentiam dictarum solemnitatum memoratis diebus permittitur participatio divinorum, ita tamen, ut illi, propter quorum delictum interdictum hujusmodi est latum, altari nullatenus appropinquent.*

S ;

Di

12. Dicitur 3. *Prohibens quadam Sacramenta*, intellige, conferre & suscipere. Baptismus tamen & Confirmatio tempore interdicti permittuntur, *c. responso 43. c. quoniam 19. de sent. excom. in 6.* Item Sacramentum Pœnitentiæ conferri potest non tantùm ægris, sed & sanis, dummodo excommunicati non sint, nec causam dederint interdicto, excommunicatus enim ad Pœnitentiam non admittitur, nisi absolutus à censurâ, qui verò culpam habent in interdicto, non admittuntur, nisi satisfecerint pro culpis suis, vel idoneam cautionem de satisfaciendo præstiterint, etsi ab interdicto nondum sint absoluti. *d. c. Alma Mater*, Eucharistia quoque conceditur, saltem in periculo mortis, & Festis suprâ nominatis, nec prohibetur Matrimonium juxta veriore DD. sententiam, quia prohibentur tantùm Sacramenta, quæ ab ipsa Ecclesia dispensantur, & non consistunt in contractu politico: Matrimonium autem ab Ecclesiâ non confertur, sed per contrahentes; nec est purum Sacramentum, sed simul contractus. *Cov. loc. cit. §. 2. num. 7.* Benedictio tamen nuptiarum tempore interdicto sponsis dari non potest, nisi submissâ voce, januis clausis, exclusis interdictis, & excommunicatis, *Sanct. de Matrim. l. 7. d. 8. n. 11.*

13. Dicitur 4. *Prohibens sepulturam Ecclesiasticam*, itâ ut etiam infantes in loco interdicto sepeliri non possint, at tamen omnes tam Laici, quàm Clerici si non sint personaliter interdicti, & ut tales publicè denunciati, nec interdicto locali suâ culpâ causam dederint, possunt deferri ad alium locum sacrum, & ibidem sepeliri, sicut enim vivi ibidem poterant divinis interesse, sic & ibidem communicare in Ecclesiastica sepultura; imò Clerici &

Religiosi si servârint interdictum, nec ipsi sint personaliter interdicti, ex privilegio sepeliri possunt etiam in loco sacro interdicto, sed in silentio sine pulsu campanarum. *Cap. quod in te 11. de pœnit. & remiss.* Quod si contingat corpus contra prohibitionem in loco interdicto sepeliri, propterea non est exhumandum, quia ejusmodi pœna nullibi in jure est statuta: aliud est de excommunicatis, qui exhumari, & è loco sacro ejici debent per expressum textum in *Cap. sacris 12. de sepult.*

Violantes interdictum incurrunt sequentes ^{14.} pœnas: 1. Clerici personaliter interdicti, aut si non sint personaliter interdicti, si scienter celebrent, vel actus Ordinis exercent in loco interdicto, incurrunt irregularitatem Papæ reservatam. *Cap. is, qui 18. de sent. excomm. in 6.*

2. Religiosi etiam exempti, si violent interdictum Papæ, vel Episcopi, admittendo v. g. interdictos ad divina officia, excommunicantur. *Clem. 1. de sent. excomm.* Hæc tamen excommunicatio non legitur esse reservata.

3. Laici & Domini sæculares, qui in locis interdictis alios faciunt, vel compellunt celebrare, qui pulsu campanarum, vel aliter personas publicè excommunicatas, vel interdictas, aut etiam alias convocant, ut intersint divinis in locis interdictis, item qui prohibent, quominus excommunicatus vel interdictus denunciatus ex officio Missæ exeant, posteaquam nominatim fuerint moniti, aut denique, qui moniti exire noluerint, hi omnes incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. *Clem. 1. l. 1. Pyrrh. l. 5. c. 39. à n. 243.*

4. Excommunicationem non tamen reservatam incurrunt, qui interdictos in loco sacro, vel alios in loco interdicto scienter sepelire præsumserint. *Clem. 1. de sepult.*

15. QUÆR III. Quis à censuris absolvere possit?

R. 1. Qualiter à censuris reservatis ob hæresin, vel percussionem Clerici absolvere possint Episcopus & Superiores Ordinum, dixi cap. præc.

2. A censurâ ab homine latâ non solvit alius, quàm ille, qui eam tulit, aut ejus successor, vel superior, si causa per appellationem ad eum fuerit devoluta; imò quòd Prælati regulares, omnes subditos ab inferioribus Prælati Ligatos absolvere possint v. g. Provinciales eos, quos Prior vel Guardianus Loci excommunicavit, docet *Laym. hic c. 7. num. 2.* Ratio est, quod religiosi pleno jure suis subiecti sint, non ita Episcopus Archi-Episcopo: neque possunt religiosi Episcopo subiecti, & à Prælato inferiore censurati, per Episcopum extra visitationem vel appellationem absolvi, quia prima instantia competit Abbati. *Schmalzgr. l. 5. tit. 39. num. 90.*

16. 3. In articulo mortis quilibet sacerdos à quilibet censurâ quomodocunque reservatâ absolvere potest *Trid. sess. 14. de pœnit. cap. 7.* Excipe percussionem Clerici, pro quâ etiam in articulo mortis, si commodè fieri potest, Episcopus adiri debet. *Laym. c. 6. num. 5.* & qui in articulo mortis, vel aliâ necessitate urgente, v. g. præcepto celebrandi pro populo à non habente facultatem in reservata, absolvitur, ab illo præviè debet exigì cautio per pignus, vel per fidejussio-

nem de satisfaciendo parri læsæ, & de comparendo coram superiore, & si ex post coram superiore comparere negligat, reincident in eandem censuram. *c. eos, qui 22. de sent. Excom. in 6.* Ab hac tamen reincidentia absolvere posse Episcopum & per consequens etiam posse regulares privilegiatos, docet *Sporer supra c. 6. num. 616.* ubi etiam consequenter addit absolutum in tali articulo à Mendicante non teneri se sistere superiori, imò & *Marchant.* dicit esse probabilissimum, quod in articulo mortis absolutus, nunquam teneatur se sistere superiori, nisi censura esset deducta ad forum externum, quia *Trid.* expressè dicit: *In Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla esset reservatio in articulo mortis.* Ubi autem non est reservatio, non est obligatio se sistendi superiori, ergo.

4. A censuris non reservatis absolvere potest omnis, qui potest à mortalibus, hinc in forma 17.
absolutionis præmittitur, & sub peccato præmitti debet absolutio à censuris, & hoc etiam tenet de interdicto personali particulari non reservato, non verò de locali, vel personali Generali, quia hæc ligant totam communitatem, vel ipsa loca, quæ foro pœnitentiæ non subsunt.

5. Regulares communicantes cum Mendicantibus extra Italiam vi suorum privilegiorum 18.
possunt in foro pœnitentiæ absolvere ab omnibus casibus Papæ extra Bullam Cœnæ reservatis. *Laym. supra num. 5. Reginald. l. 21. n. 83. Schmalz. num. 97.* Nec tenentur absolutum remittere ad Papam, vel ejus delegatum aut Episcopum, possuntque à dictis censuris absolvere, etiam extra confessionem. *Suarez. Henriq. Cœnig. Rodrig.*
S s apud

ad *Laym. de pœnit. c. 10. num. 21.* Ratio est, quia privilegium, seu gratia interpretanda est, secundum naturam rei, quæ conceditur, atque absolutio à censuris potest fieri extra confessionem, & independentem à peccatis, ergo. Estque benè notandum confessariis, quòd omnes casus Papales, maximè ii, qui continentur in Bulla Cœnæ, reserventur propter censuram, ideòque si ob ignorantiam vel oblivionem etiam culpabilem non incurratur censura, etiam non incurratur reservatio, & tunc à quolibet approbato absolutio dari possit, ut dixi casu 98.

19. 6. Si in Jubilæo detur facultas absolvendi ab omnibus censuris Sedi Apostolicæ reservatis; ex usu Ecclesiæ etiam intelligitur à reservatis ab Episcopo. *Dicastill. d. 1. num. 36.* Non tamen à reservatis in Bulla Cœnæ, nisi à Papa exprimentur. *Rodriguez. Palao Chapeau. p. 1. c. 4. Leur. q. 204.* Quia hæc specialiter reservantur, ideòque per generalem facultatem non intelliguntur concessa, & sic habet stylus Curie Romanæ, qui est loco Legis, *Azor, Suarez. Barb. p. 1. alleg. 40. num. 31.* Si detur facultas ad omnia peccata & censuras, per censuras non intelligitur suspensio, nequè irregularitas, sed tantum illæ censuræ, quæ impediunt absolutionem à peccato, velut excommunicatio. *Avers. q. 17. sect. 7.*

20. 7. *Trid. sess. 24 c. 6. de reform.* concedit Episcopis potestatem absolvendi ab omnibus censuris, & irregularitatibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, provenientius, etiam ab hæresi, & per consequens ab aliis casibus in Bulla Cœnæ reservatis ad forum externum non deductis. *Rodrig. Bonagrat. hic pag. 162.* id etiam extendunt ad

ad superiores ordinum. 1. Quia quidquid jure communi possunt Episcopi, etiam possunt Prælati regulares circa suos, ut docet *Suarez de relig. 1. 2. l. 2. c. 39. 1. 4. l. 2. c. 15. Engel de privil. regular. privil. 48. & alii A. A. gravissimi.* Ergo si Episcopi jure Trid. queant absolvere à Casibus Bullæ Cœnæ occultis, idem respectu suorum poterunt superiores regulares. 2. Certum est Regulares à variis Pontificibus habuisse privilegia à dictis casibus absolvendi pro foro conscientiae, non autem satis constat hæc privilegia esse revocata, aut saltem decreta revocantia in his partibus non sunt promulgata. Sed his non obstantibus *Mendo diff. 1. q. 4.* meritò dicit sententiam *Bonnagr.* non amplius esse probabilem, & ratio est 1. quia Bulla Cœnæ, quæ omni anno renovatur, revocat omnia privilegia, Episcopis, Mendicantibus, aliisque regularibus, pro his casibus, quomodolibet etiam per Concilium concessa, & ità præsertim quodam regulares declarasse *Gregor. XIII. & Clem. VIII.* testatur *Barbosa de officio Ep. alleg. 40. à num. 23.* Ideoque probabilius nec ipsi Episcopi in vim Trident. à dictis casibus absolvere possunt, etsi possint quæ delegati Apostolici, ut dixi *Cas. preced. num. 22.* Nec dicas Bullam tantum loqui de casibus ad forum externum deductis. *Contra est.* Bulla revocat facultatem Episcopis, etiam per concilium concessam, sed Concilium tantum concessit facultatem ad Casus occultos pro foro conscientiae, ergo. Vide etiam propositionem 3. ab *Alex. VII.* damnatam. 2. Quamvis Leges Pontificiæ præsertim pœnales etiam in partibus debeant publicari, attamen, ut desinat privilegium, sufficit, quod ejus re-

vocatio facta sit Romæ, & de ea constet in partibus, privilegia enim non sunt leges, & facilius amittuntur. *Less. in aut. casu 3.*

21. 8. Ritus absolvendi judicialiter præscribitur c. à nobis 28. de sent. excom. & habetur in Pontificali Romano, omisso tamen illius absolutionem non reddit invalidam, neque graviter illicitam, etsi regulariter expediat præscriptas cæremonias servare. *Schmaltzgruber num. 98.* Pro foro conscientie solet fieri hoc, vel simili modo: Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, suspensionis &c. quam incurristi propter N. N. (exprimitur crimen) & si sit excommunicatus restituo te Sacramentis Ecclesie, & communioni Fidelium. Aut si sit suspensus: Restituo te executioni tuorum Ordinum, officiorum, & beneficiorum in nomine Patris &c. & qui plures incurrit excommunicationes, potest absolvi ab una manente altera. *Laym. c. 5.*

Leur. q. 558.



C A S U S CXVII.

De Irregularitate.

*E*mericus ordinandus examinatur. 1. Quid sit Irregularitas, & an incurratur ab ignorante. 2. An irritet, vel prohibeat actus ordinis, vel jurisdictionis per collationem, vel acceptationem beneficii. 3. Quid de irregularitate ex delicto, an praequirat peccatum mortale. 4. Ex homicidio. 5. Quid in dubio, an occideris vel mutilaveris. 6. Quid de mutilante, vulnere se vel alium. 7. Quid de Irregularitate ex defectu animi. 8. Ex defectu corporis. 9. Libertatis, natalium. 10. Quid de expositiis, & in dubio, an quis sit legitimus. 11. Quid de Bigamiâ verâ, & similitudinariâ. 12. Quid de irregularitate ex defectu fama. 13. 14. 15. Ex defectu lenitatis. 16. Qui hic excusentur. 17. 18. 19. 20. Qualiter tollatur irregularitas. Pro resol.

QUÆR. I. Quid sit Irregularitas?

I.

R. Irregularitas est impedimentum Ecclesiasticum, impediens susceptionem ordinum, & susceptorum usum.

Dicitur 1. Impedimentum, non censura, quia censura non solum à jure, sed ab homine fertur, praequiratque ex parte judicis monitionem Canonicam, ex parte censurati contumaciam, ideoque est poena medicinalis; contra irregularitas fertur à solo jure, nec proprie est poena medicinalis, sive proveniat ex delicto, sive ex

ma-

maculâ corporali : hinc quamvis censura non incurratur ab ignorante, ut dixi *casu* 113. n. 9. Irregularitatem tamen probabilius incurrit etiam is, qui ignorat illam suo actui v. g. homicidio injusto esse annexam. Est communis cum *Card. diff. 75. num. 37. Ari. p. 5. tr. 2. cent. 2. Schmaltzgr. tit. 37. num. 107. La Croix l. 7. num. 482.* Ratio est, quod censura tanquam pœna medicinalis non incurratur, nisi ab eo, qui est contumax contra legem pœnalem, sed contumax non est, qui ut talem eam non cognoscit; e contra irregularitas non est pœna medicinalis, sed impedimentum aliquod Canonicum ad S. Ordines, sicut ergo alia impedimenta, v. g. Matrimonii incurruntur ab ignorantibus, sic & irregularitas. Opposita sententia tamen, quod irregularitas ex delicto non incurratur ab ignorante, quam tuetur *Sanchez. Krim. l. 5. n. 2177.* & alii, est probabilis, teste *Schmaltzgr. & multis aliis.* Ratio est, quod irregularitas ex delicto sit pœna contemptûs, imò juxta *Abb. & Nav.* requirit dolum, & pœna extraordinaria non incurritur, nisi sit consensus in culpam, prout est causa talis pœnæ, quod fieri non potest absque noticia talis pœnæ, irregularitas autem est pœna extraordinaria, quia obligat delinquentem, ut eam in se exequatur.

2.

Dicitur 2. *Impediens* non simpliciter inhabilitans, seu invalidans susceptionem Ordinum, hinc valent Ordines in irregularitate dati, vel suscepti. Item valet absolutio data ab irregulari, quamvis in his peccetur mortaliter. Ratio est, quod irregularitas non priver potestate Ordinis, sed tantum prohibeat Ordinum susceptionem & usum, non verò usum jurisdictionis, ideòque irre-

irregularis potest excommunicare, absolvere per se & alium, eligere, beneficia conferre; eligi tamen, aut beneficium validè acceptare probabilis non potest, quia beneficium datur propter officium, est autem irregularis incapax ad officium: Ergo & ad beneficium. Si irregularitas tantùm impediatur exercitium unius Ordinis, ut privatio manûs impedit functiones sacerdotii, adhuc acceptari poterit aliud beneficium, cujus functiones potest exercere: qui post beneficium acceptum irregularitatem incurrit, potest retinere beneficium, ejûsque fructus, si per se, vel per alium ei deserviat, quia jura possessa regulariter non amittuntur, nisi post judicis sententiam. Item irregularis potest servire Missæ, sicut laicus, & baptizare non solemniter, cantare in choro, & similia, quæ non sunt actus Ordinis, sed etiam à laicis fieri possunt.

QUÆR. II. Quid circa irregularitatem ex delicto.

R. Irregularitas alia est ex delicto, alia ex defectu; quæ est ex delicto, prærequirit peccatum mortale, quia est gravis pœna vindicativa delicti præteriti, delicta autem inducentia irregularitatem sunt varia, ut 1. *Reiteratio Baptismi*, quæ, saltem si sit publica, facit baptizantem, baptizatum & ministrum assistentem irregularem, *cap. 2. de reiterando Bapt.* intellige si id faciant scienter & absolutè, nam ignorans, vel sub conditione baptizans jam baptizatum reipsa non censetur velle rebaptizare. *Pirrh. l. 5. tit. 9. à n. 12.* Hæc pœna autem non extenditur ad eos, qui malitiosè iterant Confirmationem, Ordinem &c. quia de his non loquuntur jura.

2. Violatio censuræ, si quis scilicet in excommunicatione, suspensione, vel interdicto exerceat actus Ordinis, aut excommunicatus, vel suspensus scienter Ordines suscipiat.

3. Fit irregularis Clericus exercens Ordinem, quem non habet. Dico: *Clericus*, nam si laicus extra necessitatem solemniter baptizet, vel teneat absolvere, etsi gravissimè peccet, non tamen contrahit irregularitatem, quia id jura non statuunt.

4. Oritur irregularitas ex mutilatione, & homicidio injusto, & voluntario, item ex cooperatione, quæ fit mandando, consulendo, animando, arma præbendo, vel aliter in homicidium voluntariè influendo, juxta seqq. explanationes.

1. Hæc pœna non extenditur ad homicidium casuale, aut illud, quod fit pro necessariâ sui, vel innocentis, aut etiam pro rerum magni momenti defensione, nisi excedatur moderamen inculpatæ tutelæ, quia ubi non est culpa, non debetur pœna: aliud est de homicidio, quod propriâ manu committitur in bello justo, vel ex sententiâ judicis, pro his enim jura statuunt irregularitatem, non in pœnam, sed in defectum lenitatis, ut infra dicitur.

2. In bello injusto, si vel unus occidatur, totus exercitus redditur irregularis, ut habet communis, quia censentur se mutuâ præsentia ad occidendum animare, sed cum non sit hominis particularis de justitia belli judicare, id in praxi rarò locum habet.

3. Quamvis in dubio, siue juris, siue facti nemo censeatur irregularis, ut habet communis, eò quòd odiosa sint restringenda, aliud

tamen est in dubio facti de injusto homicidio, ut clarum est ex *cap. significasti*, ex *cap. audientiam 2. de homicid.* Idèdque si concurrens ad abortum dubites, an fœtus fuerit animatus, an consilium tuum in homicidium ab alio patratum influxerit, an percussus à te, & ab alio ex tuâ, vel alterius percussione obierit &c. in his omnibus censeris irregularis; econtra in dubio facti, de mutilatione non es irregularis, quia Canones tantùm loquuntur de dubio circa homicidium, & quidem injustum. *Dicast. hic n. 52. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. num. 35.* Idèdque si dubites, an propriâ manu in bello justo aliquem occideris, non censeris irregularis.

4. Mutilatio hïc, utpote in materiâ pœnali, ex communi Doctorum strictè accipienda est, pro abscissione alicujus membri principalis, quod peculiarem in corpore functionem obtinet, ut oculus, pes, manus &c. idèdque excusatur ab irregularitate, qui tantùm digitum, casum, cartilagineam auriculæ alteri abscidit, vel vulnus, etsi grave, infligit, aut membrum inutile reddidit; qui tamen ex iracundiâ, vel impatientiâ seipsum mutilat, vel sine justa causa mutilari facit, etiam in uno articulo digiti, vel excissione testiculorum, est irregularis, ut ex jure probat *Eng. l. 1. tit. 20. n. 7.* Quia turpius est seipsum, quàm alium mutilare.

QUÆR. III. Quid circa irregularitatem ex defectu?

R. Irregularitas ex defectu etiam variis modis contingit. 1. Ex defectu animæ; hinc Epileptici, Energumeni, seu oblessi à Dæmone irregulares sunt quoad Ordines suscipiendos; à

T

inf.

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. IV.

susceptis verò tam diu suspensi sunt, usque dum unius anni spatio per discretionem Episcopi veniantur à malo suo liberati. *Cap. communiter 3. dist. 33. c. 1. can. 7. q. 2.* Idem dicendum est de Phreneticis, leprosis, arreptitiis, amentibus, qui delirant ex causâ permanente, secus, si ex morbo, vel irâ, tunc enim irregulares non sunt: de Epilepticis, seu laborantibus morbo caduco, si raro cadant sinè spumâ & clamore, privatim celebrare posse, adjuncto eis socio, qui in casu defectûs Missam prosequi possit, docet *Laym. hic c. 7. n. 3.*

8. 2. Omnis defectus corporis, qui vel congruum Ordinis exercitium impedit, vel notabilem deformitatem, horrorem; vel scandalum adfert, irregularitatem inducit, ut constat ex *tit. toto de corpore vitiato.* Ex hac regulâ generali irregulares reputantur seqq. 1. Omnes, qui etiam sine sua culpa pede, brachio, manu, digito ad frangendam hostiam necessario scilicet indice, vel pollice carent; cæci, surdi (non tamen surdastrî) claudi, si sine baculo, aut alia deformitate ad altare accedere non possint, qui carent oculo sinistro, aut etiam dextro cum notabili deformitate; si absit deformitas, & solus oculus dexter Canonem sinè notâ legere possit, etiam defectus oculi sinistri non causabit irregularitatem. 2. Quibus nares, vel aures abscissæ sunt, nisi deformitas aurium, capillarurâ tegi possit. 3. Qui maculam turpem in facie, vel gibbum valdè deformem habent. 4. Hermaphroditi, etiam si sexus masculinus prævaleat. 5. Qui carent membro occulto, v. g. testiculis, non sunt irregulares, nisi id factum sit eorum culpâ. 6. In dubio, an aliquis defectus, vel deformitas irregularitatem inducat, standum est

est arbitrio Episcopi, qui Prælatorum etiam exemptorum arbitrium rejicere potest. *Laym. l. c. num. 7.*

3. Defectu libertatis irregulares sunt servi proprietales, seu mancipia, quam diu hæc conditio durat. *Can. 81. Apost.*

4. Defectu natalium irregulares sunt omnes illegitimi, sive naturales, sive spurii. *Cap. 1. § 2. de filiis Presb.* Idque probabilius, etiam si illegitimitas sit occulta, ut habet communis cum *Nav. c. 27. num. 201.* Attamen occultè illegitimus, si habeat gravem causam Ordines suscipiendi, v. g. ut natumini hoc modo relinquat hæreditatem, non tenetur seipsum dissimulare petendo dispensationem, sed sinè ea Ordines & beneficium suscipere potest, & mater conscia illegitimitatis ei susceptionem ordinum ex tali causa suadere potest. *Laym. supra.* Econtra si gravis causa non adsit, vel dispensationem petere, vel ab Ordinibus abstinere debet. *Expositi* etiam ad aliquos affectus habeantur pro legitimis, quia tamen hoc ipso, quòd sint expositi, habent aliquam maculam, sine dispensatione (quam in hoc casu dubio dare potest Episcopus, teste *Pirrh. l. 1. t. 17. nu. 12.*) ad Ordines admitti non debent. *Cov. Garc. l. 7. de benef. à n. 8.* Oppositum tamen etiam est probabile, quia in dubio illegitimitas & delicta non præsumuntur, & benignior interpretatio facienda est, ideòque expositi in Ordinibus susceptis non prohibentur ministrare, quia habent jus quæsitum, & in dubio est melior conditio possidentis. Natus ex conjugatâ, quamvis mater circa tempus conceptionis rem habuerit cum adultero, aut etiam affermet se ex eo concepisse,

se, filius non est irregularis, sed in omnibus se potest habere pro legitimo, nec tenetur matri etiam juranti credere, modò maritus etiam habuerit aditum ad eam, tum quia ipsa mater id scire non potest, tum quia alleganti propriam turpitudinem non est habenda fides, tum denique, quia possessio & præsumptio est pro matrimonio & legitimitate. *Sperel. decif. 173.*

- II. 5. Irregulares sunt bigami, *c. debitum s. de Bigam.* Bigamus hìc vocatur, vel propriè talis, qui plures duxit, & cognovit uxores, vel interpretativè, qui duxit & cognovit viduam, aut ab alio corruptam; vel cognovit uxorem propriam, postquam adulterata fuit cum alio: Nec refert, sive mulier volens, sive per vim vitata sit, sive vir adulterium uxoris cognovit, sive ignoraverit. *Avil. Nav. c. 27. n. 196.* Ratio est, quòd hæc irregularitas non incurritur in pœnam delicti; sed propterea, quòd matrimonium Bigami non significet perfectam unionem Christi cum unica & immaculata Sponsa, quæ est Ecclesia, eò quòd sponsa Bigami aut ipse Bigamus dividerit carnem in plures. Addunt DD. communiter aliud genus Bigamiæ, scilicet hoc, quòd quis post uxorem carnaliter cognitam, illà vivente serivò, et si nulliter, ducat & cognoscat aliam, *Cap. nuper, & cap. ult. de Bigam.* Similiter Religiosus post professionem contrahens & consummans matrimonium, etiam cum virgine, sit irregularis, saltem ex perpetua Ecclesiæ praxi & consuetudine, quæ indubiè legem inducere potest. Idem à potiori dicendum de Clerico post S. Ordines ducente, & cognoscente virginem, ut clarè colligitur ex *cap. qui Clerici vel voveres.* Hæc Bigamia vocatur similitudinaria. Denique

nique, qui ante Baptismum duas uxores, vel viduam duxit, etiam post Baptismum manet Bigamus, & indiget dispensatione, ut ad S. Ordines evehi possit: in dubio, aut in casu, quo inter DD. utrimque probabiliter disputatur, an irregularitas incurratur, vel non incurratur, standum est pro libertate.

6. Defectu bonæ famæ tanquam irregulares ab Ordinibus & beneficiis arcentur infames infamiâ, sive juris, sive facti. Infamia juris oritur ex triplici fonte. 1. Ex proprio, vel parentum delicto v.g. ex crimine publici usurarii, vel lenocinii, hæresis, Apostasiæ, Raptûs, Sodomix, læsæ majestatis, & omnibus iis, quibus ex constitutione legum infamia annexa est, saltem si sint publica. 2. Ex vili statu seu conditione, & taliter infames sunt histriones, & in Germania carnifices, eorûmq. filii. 3. Denique ex condemnatione in judicio, & magis ex punitione publica, ut dum quis ob crimen furti, vel adulterii condemnatur, aut virgis cæditur. Infamia facti est publica notitia, vel opinio commissi criminis ignominiosi cujuscunque, sive in jure infamiam annexam habeat, sive non, dummodo apud prudentes viros, graviter inde fama lædatur. Irregularitas ex infamiâ ipso jure per judicis sententiam inducta non tollitur per pœnitentiam, nec per ingressum in Religionem, sed per dispensationem Principis, qui legem aut sententiam tulit, aut per Papam saltem indirectè hoc ipso, quòd eos ex causa ad Ordines admittat. Irregularitas verò, quæ non per jus, vel per judicem, sed ex infamiâ facti inducitur, per constantem vitæ emendationem tollitur, ità ut publicus adulter, vel concubi-

12.

T 3

narius

narius post publicam emendationem, interposito saltem aliquo tempore sine dispensatione iterum celebrare possit, & quamvis concubinari publici olim ipso jure suspensi fuerint, hanc tamen suspensionem consuetudine sublata esse testatur *Laym. c. 4. num. 11.* Econtra hæresis, Apostasia, & similia crimina, quæ ipso jure infamiam annexam habent, si sint notoria, etiam post pœnitentiam impediunt susceptionem, vel novum Ordinem, secus, si sint occulta, quia videntur irregularitatem inducere, non ratione sui, sed propter annexam infamiam publicam, quæ non habet locum in delictis occultis.

13. 7. Ex defectu lenitatis irregularitatem incurrun-
runt, qui aliquem justè occidunt, vel mutilant
juxta sequentes explicationes. 1. Frustrà timent
irregularitatem, qui ex officio charitatis trac-
tant, levant, portant, versant vulneratum, vel
infirmum, et si fortè præter intentionem accele-
retur mors, cum enim irreregularitas oritur ex
defectu lenitatis, certè ibi locum non habebit,
cum quis operatur ex lenitate actus misericor-
diæ & charitatis. 2. Qui voluntariè militant in
bello justo, si propriâ manu aliquem occidunt,
fiunt irregulares, secus, si coacti contra invalo-
res Reipublicæ pugnent *Clem. un. de homic.* Idem
est de eo, qui mero casu, vel ob justam defensionem
aliquem occidit. *Krim. l. 5. à nu. 849.* Ne-
que irregulares fiunt Clerici, qui in justo bello
hortantur milites, ut fortiter pugnent *Barb. in
cap. petitio 24. de homic. n. 8.*
15. 8. Irregularitatem defectu lenitatis incurrun-
t qui in causa sanguinis judicio assistunt securo
effectu, velut Judex, assessor, accusator, si
agat ad vindictam publicam, non verò, si can-
tium

tum agat ad recuperandam rem suam cum protestatione, etiamsi sit Clericus. *cap. 2. de homic. in 6.* Item Denuntiator, Tabellio, testis, item qui dicat, scribit, signat, aut exequitur sententiam, qui torquet reum, aut aliter notabiliter, & proximè operatur ad mortem, vel mutilationem. *Dico, qui notabiliter cooperatur, 16.* nam excusantur 1. Clerici nudè executionem rei spectantes, quia non cooperantur, nisi ad summum remotè, & non notabiliter. 2. Conficientes furcam, funem, scalam, ense, aut similia vendentes, quia & hi concurrunt valdè remotè. 3. Clerici principes, qui per suos delegatos reos judicant & condemnant. *c. 3. ne Clerici vel Monachi in 6.* Aut etiam personaliter pœnam à delegatis statutam mitigant. 4. Excusatur Confessarius vel Clericus, qui privatim interrogatus respondet talem juxta Leges esse condemnandum, quia iudex non movetur ad reum condemnandum ex ejus dicto, sed ex legibus *Krimer n. 2232.* 5. Prælati Ecclesiastici, qui reum tradunt brachio sæculari occidendum, ut irregularitatem evadant, pro eo intercedere debent, ne moriatur. *C. novimus de verb. signif. Laym. c. 7. n. 3. 6.* Excusantur Chirurgi, Medici, qui juxta artem secant, vel mutilant, etiamsi præter intentionem sequatur mors, quia hic non est defectus lenitatis, cum fiat ex officio charitatis ad impediendam mortem; si verò per imperitiam, vel negligentiam sequatur mors, fiunt irregulares. *Suar. dis. 47. sect. 7.* Si autem Clericus etiam juxta regulas artis exerceat Chirurgiam, sectionem, vel adustionem, & sequatur mors, fit irregularis, nisi id faciat in necessitate, ex defectu alterius Chirurgi periti, quia id specialiter Clerico prohibe-

hibetur per *c. sententiam de atat. & qualis. Ordin.* Non verò incurrit Clericus irregularitatem, si aliter medicando sine culpâ Clerici, mors sequatur, quia non prohibetur specialiter mederi, nisi per sectionem, & adustionem, *Sylv.* Plerique recentiores, quorum 30. refert *Dian.* p. 11. r. 2. *resolut. 63.* pro regulâ generali dicunt illos omnes, & solos ratione justitiæ publicæ irregularitatem incurrere, qui ex officio ut ministri justitiæ ad mortem rei notabiliter concurrunt. Vide *Lug. disp. 22. de pœnit.*

QUÆR. IV. Qualiter tollatur irregularitas.

17. R. 1. Non tollitur per absolutionem, sicut censuræ, sed per dispensationem. Dispensare autem in irregularitatibus jure ordinario spectat ad solum Papam, qui tamen in aliquibus, velut Bigamiâ propriè dictâ, homicidio voluntario & notorio, in defectu corporis valdè deformi, rarò dispensare solet.

2. Ex privilegio *Trid. ff. 24. c. 6.* dispensant Episcopi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, & exceptis aliis delictis, etiam occultis, deductis tamen ad forum contentiosum, hoc est, quæ delata sunt judici factâ reiteratione; occultum tamen hic dicitur, quod non est notorium, seu famosum, et si 3tio vel 4to notum sit, & in judicio probari possit. Dixi: *excepto homicidio voluntario.* intellige directè voluntario, nam si sit tantum indirectè voluntarium, v. g. aliquem subitâ irâ occidis, ex incautâ percussione mulieris prægnantis causas abortum, regulâ temerè è recto projectâ hominem occidis, aut occidis defensionis causâ, sed

sed non servato moderamine inculpatæ tutelæ, in his casibus, si occulti sint, posse dispensare Episcopum, quoad irregularitatem, docet *Pirrh. l. 5. c. 12. n. 127.*

3. Regulares habent privilegium dispensandi cum suis in omnibus irregularitatibus, etiam ex homicidio voluntario, dummodo notum non sit, rem in defectibus corporalibus, ut si desit pes, oculus sinister &c. *La Croix n. 460. citans. Rodrig. Castrop. Steph.* Si tamen tanta sit deformitas, vel alius defectus, in quo ipse Papa dispensare non solet, velut Bigamia vera &c, etiam Prælati regulares dispensare non possunt, ex stylo enim Curie Romanæ hi casus censentur excepti.

4. Per professionem in religione approbatâ tollitur irregularitas ex defectu natalium, quoad S. Ordines, non autem quo ad Prælaturas, & Dignitates, nisi per Ordinis Superiores, vel potestatem habentem, desuper specialiter fuerit dispensatum.

5. Per Baptismum tollitur infamia facti orta v. g. ex injustis homicidiis, adulteriis. Non autem infamia juris; hinc Judæus virgis ob furtum, vel aliud crimen cæsus, vel stigmatè notatus, etiam post Baptismum manet irregularis, neque per Baptismum tollitur irregularitas ex bigamiâ, vel natalium defectu *Laym.*

c. 6. n. 9.



T 5

INDEX

I N D E X

Eorum quæ in hoc quarto Tomulo
continentur,
Zyphera prima post Litt. C. Casum
altera Numerum marginalem
indicat.

A

ABBAS quos ordines conferre possit & qui-
bus *Cas.* 103. n. 11. an suos censurare, an
ubique capere *c.* 113. n. 6. & 8.

Abbatissa an possit suos censurare *c.* 113. n. 11.

Absolutio à Censurâ V. *Censura.*

Absolvere à percussione Clerici quis possit *c.* 115.
n. 11. ab hæresi n. 22. an Episcopi, an Regu-
lares *ibid.* V. *Hæresis, Percussio.*

Adulterium qualiter dirimat Matrimonium *c.* 108.
n. 4. & seq. V. *Crimen.*

Affinitas quid *c.* 107. n. 18. V. *Matrimonium.*

B

Bigamus quis, an irregularis *c.* 117. n. 11.

Bulla Cœnz quid *c.* 115. n. 26. quæ ejus ma-
teria *ibid.* quid circa eam possint Episcopi
&

& Regulares c. 116. n. 20. quid tempore
Jubilæi n. 19.

C

Casus Bullæ Cœnæ c. 115. n. 26.

Censura quid c. 113. n. 1. quotuplex n. 13. an
ferri possit in infideles vel fideles mortuos n. 2.
peregrinos n. 3. aut subditos extra Diœcesin
n. 4. Religiosos n. 6. quid hic circa suos pos-
sint Regulares n. 6. & 8. an ferri in solos con-
tumaces, & quinam hi sint n. 8. & 9. an cen-
surare possit Laicus, Parochus, Abbatissa n.
11. excommunicatus, suspensus n. 16. ob
quale delictum n. 7. an eam incurrat ignorans
n. 9. peccans ex metu n. 10. an reus citari de-
beat n. 8. & 17. quid si appellet n. 18. quid si
delictum sit notorium n. 20.

A Censura absolvere quis possit c. 116. n. 15.
quid in articulo mortis n. 16. an sic absolutus
teneatur se sistere superiori *ibid.* an Regulares
à reservatis Papæ n. 18. quid tempore Jubilæi
n. 19. quid circa casus Bullæ Cœnæ possint
Episcopi & Regulares n. 20. Ritus absolvendi
n. 21. V. *Heresis, Percussio clerici, Excom-
municatio.*

Clandestinitas V. *Matrimonium.*

Clerici Percussor V. *Excommunicatio, Percussor.*

Cognatio quid quotuplex 107. n. 12. *spiritualis*
qualiter hanc contrahant Patrini n. 13. bapti-
zans propriam prolem n. 14. *legalis* quid, inter
quos n. 15. *carnalis* quid, quomodo in eâ gra-
dus distinguendi n. 16. & 17.

Con-

- Conditio adjecta sponſalibus* c. 104. n. 5.
Conditio adjecta Matrimonio c. 105. à n. 7. & 8.
 de præſenti vel præterito n. 9. neceſſario n. 10.
 de futuro n. 11. & ſeq. turpis impoſſibilis n. 16.
 & 17. adjecta ſponſalibus n. 18. V. *Matrimonium, Sponſalia.*
Conditio Matrimonii impedimentum c. 107. n. 7.
 & ſeq.
Confessarum intelligens ex confeſſione poenitentem habere impedimentum Matrimonii quid facere debeat *caſ. CXI. n. 20. & 25. item caſ. 106. n. 23.*
Conjugicidium V. *Crimen.*
Conjugium V. *Matrimonium.*
Conjugum Obligaciones V. *Matrimonii Uſus.*
Conſanguinitas V. *Cognatio.*
Contumacia quid requiritur ad incurrendam cenſuram c. 113. n. 8. & 9.
Crimen dirimens Matrimonium quid quatuorplex c. 108. à n. 1. qualiter adulterium n. 4. debet eſſe formale & conſummatum n. 5. conjunctum cum promiſſione verâ n. 6. acceptata n. 7. an liget ignorantem n. 10.
Cultus diſparitas quid c. 108. n. 11. & ſeq.

D

- D***ebitum conjugale* V. *Matrimonii Uſus.*
Degradatio, depositio quid c. 116. n. 1.
Dispensatio ſuper impedimentis Matrimonii à quo dari poſſit *caſ. CXI. n. 5. & 6.* quid hic poſſit Epilcopi n. 7. quid ſi una pars ſit Acatolica n.

8. vel sponsi spectent ad diversas Dioceses, vel sint vagi n. 9. quid possint Regulares circa vota non nubendi, vel suscipiendi sacros Ordines n. 10. circa obligationem non petendi debitum n. 11. dispensatio requirit justam causam n. 13. quid si narrata sint falsa n. 14. an aliquando dispensetur super 1mo aut 2do consanguinitatis gradu n. 15. qualiter super publicam honestate, cognatione spirituali, impedimento criminis *ibid.* angustiâ loci n. 16. paupertate, voto Religionis aut castitatis n. 17. quando causæ dispensandi debeant verificari n. 18. qualiter impedimenta debeant exponi n. 19. quid faciet Confessarius ex confessione intelligens pœnitentem habere impedimentum n. 20. qualiter in praxi dispensatio petenda, forma supplicæ n. 21. ad quos supplicatio dirigenda n. 22. quæ sit formula dispensationum, qualiter omnes & singulæ ejus clausulæ observandæ n. 23. quomodo Confessarius se hic gerere, & dispensationem exequi debeat n. 25.

Divortium quid *cas. CV. n. 29.* ex ejus causæ n. 30. *3 seq.*

Domicilium vel quasi, quid *c. 110. n. 3.*

E

Error V. *Matrimonium.*

Excommunicatio quid, quotuplex *c. 114. n. 1.* tolerati, non tolerati n. 2. minor n. 5. ejus effectus n. 6. an excommunicatus Sacramenta conferre n. 7. suscipere n. 8. quibus suffragiis pri-

privet *n.* 9. an in eâ liceat interesse divinis, quibus *n.* 10. an excommunicare, præsentare, eligere, matrimonio assistere *n.* 11. an exercere officium judicis, advocati, actoris, testis *n.* 12. in quibus prohibitum cum eo communicare *n.* 13. privat sepulturâ *n.* 14.

Excommunicatio reservata in Bulla Cœnæ V. Bulla cœna.

Excommunicatio reservata ob percussorem Clerici c. 115. n. 1. variæ ejus conditiones à n. 2. quis ab ea absolvere n. 8. an Episcopi n. 9. & 10. an Prælati Regulares n. 11. & seq. ut percussor debeat vitari, percussio debet esse notoria c. 114. n. 2. 3. quid si in uno loco sit publica & non altero n. 4.

Excommunicatio reservata propter hæresin c. 115. n. 13. ob lectionem, retentionem, defensionem, impressionem libri hæretici n. 14. quid de manuscripto n. 15. quid si tractet simul alias materias n. 16. an hæc teneant in Germania n. 16. an excuset ignorantia, crassa, affectata n. 18. ab hæresi quis absolvat, an Episcopi n. 22. & 23. an Prælati Regulares suos n. 24. V. Censura.

Extrema Unctio V. Unctio.

F

Forma petendi & exequendi dispensationem
V. *Dispensatio.*

H

H

Hæreticis jungi Marrimonio an & qualiter
liceat *cas. 108. n. 12.*

Heretici an cum impedimento Ecclesiastico va-
lidè contrahant matrimonium *cas. 106. n. 27.*

§ 28. an liceat his Matrimoniis assistere, co-
operari *n. 29.* an proles hinc natæ sint legiti-
mæ *n. 30.* Item *cas. 110. n. 15.* ubi exhibetur
declaratio Benedicti XIV. de Anno 1741. super
Matrimoniis Hollandiæ & confæderati Belgii,
ex qua nunc certum est, in Hollandia, Selandia
Frisia & toto confæderato Belgio valere Matri-
monia sive Hæreticorum inter se, sive Catho-
lici cum hæreticâ coram Prædicante sine Pa-
rocho Catholico coram testibus contracta, idem
tenet de Locis præsidiorum sive Barrierâ, & tra-
jecto ad Mosam, modo uterque conjux ad
copias Ordinum fœderatorum pertineat *n. 16.*
personæ militares fœderatorum, sive unus sive
uterque sit hæreticus ubique coram Prædicante
sua Legionis validè contrahunt *n. 17.* Decla-
ratio Benedicti XIV. locum non habet in Hol-
landiâ quoad sponsores ex utrâque parte Catho-
licos, neque de Hæreticis cum alio impedi-
mento v. g. consanguinitatis, criminis &c. ibi-
dem contrahentibus *n. 18.* neque hæc declara-
tio comprehendit loca subiecta Principi Catho-
lico v. g. Franciam, Bohemiam, Juliam, Mon-
tes &c. *n. 19.* Parochus Catholicus licitè assi-
stit matrimonii hæreticorum de sua Parochia
n. 20. an Catholici ex metu licitè se sistant aut
contrahunt coram Ministro A catholicis *ibid.*
quid de locis ubi vel non est, vel latet Parochus

Ca-

Catholicus n. 14. quid de Matrimoniis sine
Parocho Catholico contractis Augustæ Ratis-
bonæ Argentorati &c. n. 21. quid de Saxonia,
Prussia &c. n. 22.

Heretici an sepeliri possint in loco sacro, an ritu
Catholico c. 114. n. 14. an eorum funus co-
mitari *ibid.*

Hæresis pœna c. 115. n. 13. quis ab eâ absolvere
possit à n. 22. V. *Excommunicatio Heretico-
rum Libros legere, retinere defendere &c.*
à n. 14.

Honestas publica quid c. 109. n. 13. V. *Ma-
trimonium.*

I

Impedimenta Matrimonii V. *Matrimonium.*

Impotentia V. Matrimonium.

Impubes quis c. 104. n. 12. an possit contra-
here sponsalia aut contracta rescindere *ibid.*
an inde oriatur impedimentum honestatis n. 4.
item *Cas.* 109. n. 14. § 20.

Infames qui, an irregulares c. 117. n. 12. an
etiam expositi n. 10.

Infidelium Matrimonia qualiter dissolvantur per
conversionem c. 105. n. 28. an valeat fidelem
inter & infidelem c. 108. n. 11. V. *Matri-
monium.*

Interdictum quid c. 116. n. 6. quotuplex n. 7.
ejus tempore quæ officia prohibita n. 8. § *sep.*
quæ Sacramenta n. 12. an sepultura n. 11.
violantium pœnæ n. 14.

Irregularitas quid, an incurratur ab ignorante
c. 117. *n.* 1. ejus effectus *n.* 2. ex delicto an
 prærequirat mortale *n.* 3. ex homicidio *n.* 4.
 quid in dubio *n.* 5. an ob mutilationem *n.* 6.
 ex defectu animæ *n.* 7. corporis *n.* 8. libertaris,
 natalium *n.* 9. quid de exposititiis *n.* 10. Biga-
 mis *n.* 11. infamibus *n.* 12. ex defectu lenita-
 tis *n.* 13. & 14. quomodo tollantur *n.* 17. per
 Episcopos *n.* 18. Regulares *n.* 19. per Bap-
 tismum *n.* 20.

L

Libri Hæretici qualiter prohibiti *c.* 115. *n.* 21.
 quis eos legendi licentiam dare possit *n.* 22.
 an Prælati Regulares suis *n.* 24. ad quem spe-
 ctet eorum expurgatio *n.* 25. V. *Excommu-
 nicatio.*

Ligamen c. 109. *n.* 10. V. *Matrimonium.*

M

Matrimonium quid, ejus materia, forma,
 minister *c.* 105. *n.* 1. consensus debet esse
 verus *n.* 2. mutuus & deliberatus *n.* 3. mutua
 traditio corporum *n.* 4. quid si contrahens fal-
 sò credat adesse impedimentum *n.* 5. consen-
 sus parentum an requiratur *n.* 6. consensus con-
 ditionatus quotuplex *n.* 7. an licitus *n.* 8. con-
 ditio de præsentis, de præterito *n.* 9. necessaria
n. 10. de futuro *n.* 11. quid si eâ pendente
 V du-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. IV.

ducat aliam *n.* 12. variæ conditiones *n.* 13. & *seq.* turpis, impossibilis *n.* 16. & 17. quid si ad-
 jiciatur sponsalibus *n.* 18. quid de hac ducote
 si castitatem voveas *n.* 19. ut liceat Religionem
 ingredi *n.* 20. aut in casu adulterii liceat repu-
 dium *n.* 21. contrahere per Procuratorem *n.*
 22. quid si mandatum revocetur *n.* 23. an
 Procurator debeat adhibere Parochum & te-
 stes *n.* 24. an licitè ineatur cum Hæretico *c.*
 108. *n.* 12.

Matrimonium dissolvi an possit *c.* 105. *n.* 25. an
 etiam consummatum *n.* 27. quid de Matrimo-
 niis infidelium *n.* 28. quid observandum judi-
 ci in quæstione de valore Matrimonii *n.* 29.
 quid circa divortium *n.* 30. ejus causæ *n.* 31.

Matrimonii Proclamationes quid *c.* 106. *n.* 1. an
 fieri tribus festivis diebus *n.* 2. in utriusque
 Parochia *n.* 3. utriusque Diœcesi *n.* 5. quis in
 iis dispenset *n.* 4. obligatio manifestandi im-
 pedimenta *n.* 6. & *seq.*

Matrimonii Benedictio an & quando fieri debeat
c. 106 *n.* 10. & *seq.*

Matrimonii Impedimenta cujus sit instituere *c.* 106.
n. 12. *Impedientia* quæ *n.* 13. quid de eo qui
 contraxit cum voto castitatis vel Religionis *n.*
 14. quid si votum sit conditionatum, ex errore
 vel metu *n.* 17.

Matrimonii Impedimenta dirimentia quæ *c.* 106.
n. 18. an consuetudine induci queant vel abro-
 gari *n.* 19. cum impedimento contrahens an
 peccet *n.* 20. quid in dubio *n.* 21. aut proba-
 bilitate *n.* 22. quid hic agat Parochus vel
 Confessarius *n.* 23. quid si solùm unus ex spon-
 sis id sciat *n.* 24. vel uterque ignoret *n.* 25. an
 tunc

tunc monendi *n.* 26. an valeant Matrimonia
 hæreticorum cum impedimento Ecclesiastico
n. 27. & *seq.* an proles inde natæ sint legitimæ
n. 30. V. *Hæretici.*

M.ATRIMONII IMPEDIMENTA
 IN SPECIE.

Error circa personam *c.* 107. *n.* 1. qualitatem
n. 2. quando hæc redundet in substantiam *ibid.*
 varii Casus à *n.* 3.

Conditio quid *c.* 107. *n.* 7. & 8. variæ Explicatio-
 nes *ibid.*

Votum quid *c.* 107. *n.* 9. quid de ordinato ante
 usum rationis vel coacto *n.* 10. *Votum* quo jure
 dirimat *n.* 11. existens in voto qualiter possit
 petere aut reddere debitum *c.* 112. *n.* 2. & *seq.*

Cognatio quid quotuplex *c.* 107. *n.* 12. & *seq.* spi-
 ritualis quos afficiat *ibid.* legalis quæ & inter
 quos *n.* 15. carnalis quæ, & quo jure dirimat
n. 16. intra quos gradus *n.* 17.

Affinitas quid quo jure, & quousque dirimat *c.*
 107. *n.* 18. oritur ex copulâ perfectâ *n.* 19.
 quid si superveniat Matrimonio *n.* 20. quid
 de infidelibus *n.* 21.

Crimen quid quotuplex *c.* 108. *n.* 1. V. *Crimen.*

Cultûs disparitas quid *c.* 108. *n.* 11. quid de
 A catholicis V. *Hæretici infidelis.*

Vis seu *Metus* quid *c.* 109. *n.* 1. quid si metus
 sit levis *n.* 2. justus *n.* 3. à causa naturali *n.* 4.
 vel non in ordine ad matrimonium *n.* 5. debet
 probari *n.* 6. an metum incutiens possit resiliire
n. 7. quo jure metus dirimat *n.* 9.

Ligamen quid *c.* 109. *n.* 10. mors prioris conjugis debet esse certa *n.* 11. & legitimè probata *n.* 12.

Publica honestas quid, qualiter oriatur ex sponsalibus *c.* 109. *n.* 13. matrimonio rato *n.* 14. varii Casus resolvuntur à *n.* 15.

Ætas quæ *c.* 109. *n.* 21. an debeat esse completa ad momentum *n.* 22.

Clandestinitas quid *c.* 110. *n.* 1. testes qui *n.* 2. Parochus proprius quis *n.* 3. sponsi vel sponsæ *n.* 4. qui veniant nomine Parochi *n.* 5. an committi Diacono *n.* 6. an sufficiat licentia generalis metu vel dolo obtenta *n.* 7. & 8. qui fit Parochus vagorum *n.* 9. militum *n.* 10. quid de locis ubi Trid. non est publicatum *n.* 11. vel quis eat ad locum ubi non viget *n.* 12. vel econtrà *n.* 13. quid si non sit vel lateat Parochus *n.* 14. declaratio Benedicti XIV. super valore matrimoniorum in fœderato Belgio, Hollandiâ & eorum Barrierâ coram Prædicantibus contractorum modo una pars sit Acatolica *n.* 15. & 16. idem extenditur ad personas militares fœderatorum modo unus sit Acatolicus *n.* 17. id tamen locum non habet, si uterque sponsus sit Catholicus, neque si sponsi hæretici alio laborent impedimento *n.* 18. neque declaratio comprehendit loca subjecta Principi Catholico ut Francia, Bohemia, Julia, Montes *n.* 19. Parochus Catholicus licitè assistit hæreticis de suâ Parochiâ *n.* 20. an Catholici ex metu se licitè sistant aut contrahant coram Ministro Acatolico *ibid.* quid de Matrimonio sine Parocho Catholico contractis Augustæ Ratisbonæ, Argentorati &c. *n.* 21. quid de viatore

transeunte per loca ubi Trid. non est receptum
vel publicatum n. 22.

Impotentia quid c. 110. n. 23. quid de senibus
n. 24. sterilibus n. 25. quid in dubio n. 26.
debet esse perpetua n. 27. quid si hoc sit du-
bium n. 28. aut factâ separatione cesser impo-
tentia n. 29. quid si impotentia Matrimonio
superveniat aut de hoc sit dubium n. 30.

Raptus quid c. 110. n. 31. quid si rapiatur mascu-
lus, aut mulier, sed non in ordine ad Matrimo-
nium n. 32.

Matrimonii revalidatio quomodo faciendâ c. 111.
n. 1. & seq. an requiratur utriusque consensus
ibid. quid si nullitas sit ex alio impedimento n.
3. publico vel occulto n. 4. ex sola Confessio-
ne nota n. 20.

Impedimentorum Dispensatio c. 111. à n. 5. V.
Dispensatio.

Matrimonii Usus qualiter licitus c. 112. n. 1. quid
in dubio de ejus valore *ibid.* aut adsit votum
continentiæ n. 2. adulterium incestus n. 3.
an liceat ex solâ voluptate, aut quando nulla est
spes prolis, aut propter sanitatem n. 4. quo situ
n. 5. loco tempore n. 6. qualiter liceant aspe-
ctus oscula tactus n. 7. delectationes morosæ n.
8. aspectus imaginis pulchræ sub actu conjugali
n. 9. qualiter debitum petenti reddendum n.
10. an ebrio suspecto de adulterio vel morbo
n. 12. aut proles ob paupertatem ali non possit
n. 13. vel petatur cum voto, situ aut modo in-
debito n. 14. quid de obligatione cohabitandi
proles & familiam gubernandi a n. 15.

Mendicantes seu Regulares quid possint circa vota
Conjugum ant petitionem debiti c. 111. n. 10.
V. *Dispensatio.*

V 3

Adversus

Metus an vitiet sponsalia *c.* 104. *n.* 4. qualiter
Matrimonium *c.* 109. à *n.* 1. V. *Matrim.*

N

Nuptia qualiter benedicendæ *c.* 106. *n.* 10. an
etiam infidelium converforum, vel hæreti-
corum *n.* 11.

O

Ordo prout est Sacramentum quid *c.* 103. *n.* 7.
quotuplex *n.* 8. ignorans & ordinatus ante
usum rationis aut impubes an obligetur ad ca-
stitatem *ibid.* Ordinis materia *n.* 9. minister
n. 10. quos Ordines conferre possint Abbates
n. 11. quæ ætas requiratur *n.* 12. quis titulus
n. 13. interstitia quæ *n.* 14. quæ hic privilegia
Regularium *ibid.*

Ordo an dirimat Matrimonium *c.* 107. *n.* 9. an
sponsalia *c.* 104. *n.* 17.

P

Parochus proprius quis *c.* 110. *n.* 3. an assiste-
re Matrimoniis vagorum, militum &c. à *n.* 9.
Hæreticorum *n.* 20. an sepelire hæreticos, pec-
catores publicos, in duello, laqueo vel puteo
mortuos, infantes non baptizatos *c.* 114. à *n.* 14.
Percussio Clerici qualiter prohibita *c.* 115. *n.* 1.
V. *Excommunicatio.*

Pramonstratenses ordinari possunt à quovis Episco-
po etiam hospite, sine interstitiis *c.* 103. *n.* 14.
Proclamations V. *Matrim.*

Professio Religiosa an dirimat sponsalia post deflor-
ationem sponsæ *c.* 104. *n.* 15. an etiam Religio-
sus ingressus *n.* 16. an Matrimonium *c.* 107.
à *n.* 9. *Pre*

Promissio Matrimonii V. Sponsalia.

Pubertas quot annos requirat *c. 109. n. 21.*
an completos ad momentum *n. 22.* impubes
ordinatus an possit nubere *c. 103. n. 8.*

Publica honestas quid *c. 109. n. 23. V. Ma-*
rimonium.

R

R *Aptus* quid *c. 110. n. 31. V. Matrimon.*

Regulares an dispensare possint in *Votis Conju-*
gum, in petitione debiti *c. 111. à n. 10* an
suos censurare, ubique capere *c. 113. n. 6* &
8. an absolvere à suspensione *c. 116. n. 5.* à
percussione clericici *c. 110. n. 11.* ab hæresi *n. 24.*

S

S *Epultura* quinam privandi *c. 114. n. 14.* &
seq.

Sponsalia quid *c. 104. n. 1.* debent esse mutua
n. 2. deliberata *n. 3.* libera à dolo & metu *n. 4.*
absoluta *n. 5.* personarum certarum *n. 6.* ha-
bilium *n. 7.* exterius manifestata *n. 8.* quid si
parentes non consentiant *n. 9.* qualiter obli-
gent *n. 10.*

Sponsalia dissolvuntur variè: mutuo consensu *c.*
104. n. 11. an etiam impuberum *n. 12.* ob re-
cessum unius *n. 13.* ob dilationem *n. 14.* pro-
fessionem *n. 15.* vel Religionis ingressum *n.*
16. ob sacros Ordines *n. 17.* & *18.* ob votum
n. 19. ob læsam fidem *n. 20.* & *21.* fornicatio-
nem *n. 22.* ob mutationem corporis, fortunæ,
morum *n. 23.* & *seq.* an contradictio paren-
tum *n. 27.* nova fortuna *n. 28.* defectus nobi-
litas *n. 29.* superveniens impedimentum *n.*

30. an hæc teneant in sponſalibus juratis n. 31.
 an debeant hæc ſuperveniffe n. 32. reſiliens
 ſine cauſa ad quid teneatur n. 33. an liceat con-
 trahere cum defectu occulto n. 34. occultè ab
 alio deflorata an ſponſum cogere poſſit ad ſer-
 vanda ſponſalia n. 35. ſponſalia ſub conditio-
 ne impoſſibili an valeant c. 105. n. 18. quali-
 ter cauſent publicam honeſtatem c. 109. n. 13.
Spurii an ſint irregulares c. 117. n. 9.
Suſpenſio quid c. 116. n. 1. quotuplex n. 2. ejus
 effectus n. 3. ſuſpenſus in unâ Diœceſi an ſit
 ſuſpenſus in aliâ n. 4. ejus cauſæ n. 5. an ab eis
 abſolvant Regulares *ibid.*

T

Titulus Ordinationis c. 103. n. 13.

U

Uſus Matrimonii V. *Matrimonium.*
Uſus extrema quid c. 103. n. 1. ejus ma-
 teria remota n. 2. proxima n. 3. miniſteri-
 um n. 4. ſubjectum & obligatio n. 5. an bis in
 eodem morbo n. 6.

FINIS.

Verzeichnis einiger Theologischer Büchern.

A

- A** Brahami (à S. C.) Grammatica Religiosa 4to
Latinè & Germanicè
- - - - Judas der Erzschelm 4to 4. Theile.
- - - - Gehab dich wohl 4to.
- - - - Bescheid, Essen 4to.
- - - - Lauber, Hütt 4to 3. Theile.
- - - - Sterben und Erben 8vo.
- - - - Wintergrün 4to.
- - - - Narren, Nest 8vo 3. Theil.
- - - - Erbawliche Andachten 8vo.
d' Abreu Speculum Parochorum 4to.
d' Acherii Spicilegium fol. 4. Tom.
Acta Canonizationis Ss. Pii V. P. M. Andr. Avellini
fol. &c. c. Fig.
- - - - Ecclesie Mediolanensis 2. Tom. fol.
Adam (Hermen. S. J.) sicherer Weg zum Him-
mel 8vo.
Emiliani (Ord. Cap.) Göttliche Goldgruben 3. 4.
und 5ter Theil 4to.
d' Agaró sapienti pauca sive Meditationes 8vo.
Agenda S. Colon. Ecclesie 4to Median Schr. Pap.
d' Agreda mistica Civitas Dei fol. 3. Part.
Agricola [Ignat. S. J] Historia Soc. Jesu fol. 3. tom.
d' Aguirre (Jof. San.) de virtutibus & vitiis fol.
Alberti (Magni) Enchiridion de veris virtuti-
bus 12mo.
Alexandri (Natal.) Theologia Dogmatica & Mo-
ralis fol. 2. Tom.
d' Alloza Flores summarum 8vo.
Alphonsi (Ord. Cap.) Jugend, Spiegel 4to
1. Theile.
de Altamura (Ambr.) Bibliotheca Dominicana fol.
Amadæi (Ord. Cap.) Palus Ecclesiastes, sive Elo-
quentia Christiana 4to 2. Part.
Aman (Aquil) Speculum ordinandorum 8vo
Amort (Euseb.) de Indulgentiis fol. c. supplement.
- - - - Idea divini amoris 8vo.

In-

- Informatio de statu totius Controversiæ &c.
 8vo.
 Brevier eines guten Christen sive Gebeth
 Buch 8vo.
 De Revelationibus, Visionibus & Appa-
 ritionibus 8vo.
 Controversia de Revelationibus Agreda-
 nis 4to.
 Mystica Civitas Dei vindicata 4to.
 Theologia Moralis fol. 4. Tom. & 8vo.
 23. Part.
 Anselm. Opera omnia 4. vol. fol.
 Antoine (Paul Gabe S. J.) Theologia Moralis uni-
 versa 8vo 2. part.
 Antonii (à Jesu) Sermones morales 4to.
 Antonini (à S. Gerard) 42. Lob, und Ehren. Pred-
 gen. 4to.
 Apis Mellificans, sive succus melleus piorum Libro-
 rum 8vo.
 Antrieb zur Liebe Gottes 8vo.
 de Arauxo (Franc.) Decisiones Morales fol. 1.
 Tom.
 Ardia (Anton) S. J. Tuba Catechetica fol. 3. tom.
 Armelle (Nicol.) die Schule der reinen Liebe Got-
 tes 8vo.
 Arpe (Ord. S. August.) Augustinianisches Tag-
 Buch 8vo.
 Arriaga (Roder) S. J. Disputationes Theologica
 in D. Thomam fol. 8. tom.
 Ars. dekrn (Rich) S. J. Theologia tripartita 4to
 3 Part.
 Athanasii (Sancti) Kircken-Historien fol. 2. Theile.
 Avancini (Nicol.) S. J. Vita & Doctrina Jesu
 Christi Lat. & Germ. 12mo.
 Augustin (Sancti) de civitate Dei Libri XXII. 8vo.
 Meditationes 24to Lat. & Germ.
 13. Bücher der Bekantnissen 12mo.
 Epistola de pœnis parvulorum fol.
 Enarrationes in Psalmos fol.
 Medirationes Soliloquia 8vo & 12mo.
 Augustini (Abb. Einsidl.) Theologia scholastica uni-
 versa fol. 13, Tom.

B

- B**aaders (Sebast.) Sonn- und Feiertags, Predigen
 1ter Jahr, Gang Dom. & Festival.
 - - - - 2ter Jahr, Gang Dom. & Festiv.
 - - - - 3. und 4ter Jahr, Gang Dominical
 - - - - Festival 3ter Jahr, Gang Fol.
 - - - - Passional
 - - Predigen übereinige Stellen 5. Schrift Fol.
 Babenstueber (Ludov.) cursus Theologiae Mora-
 lis Fol.
 - - - - Sacrae Deliciae Mariani Amoris 12mo.
 - - - - Disputationes Theologicae 4to.
 Bachner (Anon.) Waaffen des Viechts 2. Theile 8vo.
 - - - - Viecht und Lieb der Welt Jesus Christus 8vo
 und 12mo.
 - - - - Tugend, Spiegel Jesus Christus 12mo.
 Bagatta admiranda Orbis Christiani 2. tom fol.
 Bail (M. Lud.) Summa Conciliorum omnium 2.
 tom. fol.
 - - - - Theologia affectiva Teutsch fol.
 - - - - De examine ordinandorum 3. part. 12mo.
 Balde (Henr.) Christliche Warheiten 12mo.
 Baldelli (Nicol.) Theologia moralis 2. tom. fol.
 Balduini (Franc.) Magnet Englicher Keinigkeit 4to
 - - - - (Ord. Cist.) Sonn- und Feiertags, Pre-
 digen 2. Theile fol.
 - - - - Septennium Marianum fol. Teutsch.
 - - - - Fasten-Predigen fol.
 de Ballingem (Ant.) in sacram Scripturam 2. To-
 mi 4to.
 Balluzii (Steph.) Epistolae Innoc. III. 2. tom. fol.
 Bandel [Joseph Anton] Catholisches Kriegs-Recht 4to.
 - - - - Rechtfertigung von Neumahr 4to.
 - - - - Leichen, Reden 4to.
 Barberii [Joseph Phillip.] Erwegung und Anreden
 4to.
 Bartonii Annales Ecclesiastici 12. tom. fol.
 Barradii [Sebast.] Commentaria in Evangelia 5.
 tom. fol.
 Bellarmini [Rob. Card.] controversiae 4. tom. fol.
 S. Bernardi [Abb.] Opera omnia studio Mabillonii
 6. tom. fol.
 Bibliorum Concordantiae fol.
 Blofii [Lud.] Opera Ascetica fol.

Bonacinæ [Mart.] Opera omnia 6. Tomi fol.
Berti [Joan Laur.] Theologia Historico-Dogmatico-Scholastico 10. tom. fol.
S. Bonaventuræ [Card.] Opera omnia 7. tom. fol.
Bosco [Joan.] Theologia Script. scholast. & moralis 7. tom. fol.

C

Calmet [Aug.] in sacram Scripturam 8. tom. fol.
----- Dictionarium Biblicum 2. tom. fol.
Caramuelis [Joan.] Theologia moralis fundam.
4. tom. fol.
de Castro-Palao [Ferd.] Opera omnia 2. tom. fol.
Chryostomi [Joan] Opera omnia Græco-Latina
& Vers. ducei.
Chrilt. [Steph.] Theologia Mystica oder Gottes
Kunst 8vo.
Cienfuegos [Albert] Ænigma Theologicum fol.
2. Tomi.
Clementis [Papæ IX.] Constitutio Unigeniti Theol.
propug. 4. tom. fol.
----- Opera omnia juxta Exemplar Romæ 2.
tom. fol.
Concilium Tridentinum cum Declarat. Gallæmar.
8vo.

D

Dianæ [Antonini] practicæ Resolutiones selectæ
Casuum 8vo.

E

Elbeli [Benj.] Theologia Moralis sacrum & do-
calogal. 10. Part. 8vo.
Esparza [Martini] Cursus Theologicus 2. tom.
fol.

G

Garzi [Jacob] Compendium Theologiæ Mor-
lis 12mo.
Gaudentii [Ord. Cap.] Cursus Theologicus
ment m S. Bonav. 7. vol. fol.
Gervasii [Ord. Cap.] Cursus Theologicus 6. Part.
8vo.
Gibonis [August.] Opus Theologiæ excellentis-
simum 4to.

FINIS.

gma-
fol.
mo-

n. fol.
n. fol.
ndam.

n. fol.
Larina

Gottel

m fol.

Theol.

oma 2.

llemart

s select.

m & de


2. tom.


e Mora


gicus

s 6. Pa

ellenti







Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page, including the word "Syllabus" and "Tome I".

Th
2123